R. P.

FRANCISCI COSTERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI

APOLOGIA I.

Pro prima parte Enchiridij sui:

CONTRA

Franciscum Gomarum, Professorem Caluinistam in Schola Leydensi.

TOMVS II.


Matth. 7.

Attendite à falsis prophetis.



LVGDVNI,
APVD HÆRED. GVIELMI ROVILLII.

M. DCIIII.



CHRISTIANO LECTORI.

DVO Christi & Ecclesiæ hostes superioribus annis diuino verbo & fauore, prostrati sunt: tertius venit in arenam, experturus quid possit. Siquidem cũ ante annos circiter 14. Antuerpiæ Theses quasdã, seu Catholicas propositiones emisisse, in quas totis octo annis nemo calamũ strinxerat: prodijt tandem aduersarius quidã ἀνώνυμος, cum octo contrarijs Thesibus tam ineptè consarcinatis, vt nullo negotio illæ à me dissolutæ & comminutæ fuerint: libello materna lingua edito, cui titulus, Demonstratio veteris Catholicæ doctrinæ. Quo viso, miserellus ille antagonistes ita expauit, vt non sine dedecore è certamine se proripuerit, & nescio vbi latitans, ne quidẽ nomen suũ edere ausus fuerit. Fortasse sibi nõ bene conscius, metuit, cũ nomine etiã facinora sua (qualibus Prædicantes scatent) in lucem producenda. Itaque hic primo & vnico telo suo iacto fugit, & etiamnum delituit. Cæterum eius loco surrexit alius quidam Prædicans Caluinista Iaspar Greuinchouius: qui me aliquot libellis, ceu telis, lacessiuit. At is tam iniquè stetit in hoc certamine, vt [illegible] tium ipsi indictum sit, vel à Caluinistica Synago[illegible] (sicut ad me perfertur) vel à pudore & metu, vel [illegible]h ignorantia. His igitur turpiter victis, delectus est, authoritate Caluinistici Magistratus, de toto Batauico [illegible]o-

[illegible]ius

rum gregetertius, Franciscus Gomarus, Caluinisticæ Theologiæ in Schola Leydensi Professor. Cui demandata est Prouincia, non iã prædictas theses meas (quæ refutari nequeant) sed Enchiridion Controuersiarum (quod ab hinc annis ferè viginti, Coloniæ, in discipulorũ nostrorum gratiam conscripsi) si non refellendi, at saltem impetendi. Dolent enim Caluinistæ, aliq; hæretici, illud tot Academiarũ calculis approbatum, studiosorum manibus teri. Roserat ante quinquennium eius aliquã particulam Andreas quidã Callias Caluinista Frãcus: sed ex antidoto meo sic obstupuere dentes eius, vt rodere desierit. Omisit itaque Gomarus iste Anticosterũ, in duas partes Enchiridij mei. 1. de discrimine hæreticorum & Catholicorum. 2. de S. Scriptura. Vide illud primum Moguntiæ, cum anno secundi in vrbem de Superiorum voluntate, iter instituerem. Reuerso non fuit ocium eius opusculi inspiciẽdi, nempè in perficiendis cõcionibus occupato. Quibus, Dei gratia, iam perfectis, adiecit animũ ad breuiter refutanda, quæ in me ipse scripsit. Placet sibi mirè (nec immerito,) tanquam doctissimo, & visu dignissimo, qui se tot Academijs, Colonien si, Louaniẽsi, Treuirensi, Mogũtinæ, atq; in istis etiam Parisiensi, Bononiensi, Ingolstadiensi, Hispalensi, Conimbricensi, cæterisq; Christiani orbis, audeat opponere: quarum omninò nulla est, quæ calculo suo testimonij, non velit Enchiridij mei doctrinam comprobare, &, vt cum Apostolica sede consentientem, communibus votis confirmare. His ego eo doctissimorum virorum suffragijs munitus, & Christi in primis auxilio veritateq; Catholicæ fretus,

tus, non verebor cum hoc Doctore congredi: & præter alia tela, quinq; limpidissimos lapides de torrente Ecclesiæ lectos in eius frontem iacere: exemplo Dauidis, qui primo iactu prostraut Goliad Philistinorum gigantem. Lapilli isti erunt, non terrei, sed spirituales: quibus deijciuntur hæretici omnes. His vsi sunt Maiores nostri aduersus sectarios veteres: & hos quicunq; in eos proijciũt, semper palmã referunt. Quinq; igitur quæstiones ei propenam, quibus si rectè, sine tergiuersatione responderit, manus dabo, eiq; palmam cedam, adeoq; ipsemet ad partes eius me transferam.

Esto ergo quæstio PRIMA. Qua prouincia, ciuitate, oppido, pago, aut Repub. ante annum 1520. credita fuerit, tradita, palamq; per omnia seruata doctrina, quam nunc Hollandi Caluinistæ, cæteriq; eorum complices, pro Dei verbo docent? Quem inuenit Caluinus suæ fidei toto orbe, cum religionis mutationem institueret? à quibus hominibus doctus fuit? vbi erat Ecclesia?

SECVNDA. Quis Pontifex, Episcopus, Presbyter, aut alius quiuis homo, synceritatem Apostolicæ doctrinæ primus corrupit? quo loco? quo tempore? quis immane peccatum ariolatriæ & idololatriæ imaginum, & mortuorum hominum primus inuexit? Cur ex tot tantisq; Patribus, qui & doctrina præstabant, & miraculis clarebant, & animi constantia valebant plurimum, nemo tantis, tamq; abominandis abusibus (vt vos loquimini) sese obiecit? Cur nemo in primos auctores inuectus est, aut insurrexit?

TERTIA. Cur intellectus sacrarum literarum, quo vos ex scripturis colligitis, [illegible] a-

nes errores Ecclesiæ Romanæ, anteferendus sit interpretationi Sanctorum Patrum & veteris Ecclesiæ, quæ nobis non Scripturarum tantummodo textum, sed earum etiam intelligentiam dedit: cum qua nihil pugnat eorum, quæ in Ecclesia nostra seruantur?

QVARTA. Qua Scriptura docebis, nihil fide credendum, quod libris sacris Bibliorum conscriptum non sit? Quæ scriptura dicit, Quatuor Euangelia, & receptas epistolas Apostolorum, esse verbum Dei?

QVINTA. Quis ex toto grege vestro, quem constat post ortum Caluini in vestra doctrinæ mortuũ, euasit infernum? Vnde signum diuinum, quod nos conuincat: sicut Sancti miraculis solent. Hi sunt lapilli, & quæstiones: non tam nouæ: sed veteres: quibus ego hãc meam Apologiam propugnabo. Viderit hæreticus, quomodo euadat. Tu candide Lector, esto candidus Iudex, memor in negotio fidei non agi de lana caprina, vel de asini vmbra, sed de æterna damnatione, aut salute. Hãc æternitatem, ad quam in dies singulos tendimus, vtinam quisquam, qui modò Christianus haberi cupit, seriò meditetur: iuxta Sapientis admonitionem: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. *Vale, & salutis tuæ memor, caue, cum hæreticis malè pereas. Bruxellæ Brabantiæ 12. Iunij 1603.*

Franciscus [illegible]terus Societatis
IESV Sacerdos.

VINCEN

VINCENTIVS LERINENSIS
Commonitorij Cap. 12.

ANnunciare aliquid Catholicis, præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit: Et anathematizare eos, qui annunciant aliquid, præterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nunquam non oportet, nunquam non oportebit. Estne ergo aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, quod apud Ecclesiam annunciatum est, annunciet? vel tantæ leuitatis, qui præter id, quod ab Ecclesia accepit, accipiat?

D. Chrysost. hom. 4. in 2. ad Thessal.

Est traditio, nihil quæras amplius.

APOLOGIA FRANCISCI COSTERI SOCIETATIS Iesu, pro prima parte Enchiridij sui.

Hæreticus impugnat, Costerus propugnat.

HÆRETICVS.

NIHIL indignius dici, aut fingi potest, quàm regiam & sacerdotalem dignitatem Christi aliò deriuare. Hoc facit Costerus. Ergo, &c.

COSTERVS.

Propositionem admitto. Assumptionem nego.

HÆRETICVS.

Christus est vnicus Mediator Dei & hominum, vnicus Seruator, vnicus Ecclesiæ Dominus, vnicus Cælestis aulæ Rex: At hæc eadem asscribis Mariæ: Ergo ad eam deriuas Christi *dignitatem*.

COSTERVS.

Propositionem agnosco, cum Ecclesia Catholica: Assumptio falsa est.

HÆRE

HÆRETICVS.

Confirmatur illa ex variis titulis & nominibus, quibus eam honoras: Ergo Christi honorem asscribis Mariæ.

COSTERVS.

Inepta est cõsequutio. Non enim communio nominum indicat cõmunionẽ diuinitatum, *Vnus est pater noster, qui in cælis est.* Matt.23. *vnus Magister & doctor, Christus, vnus bonus* Matt.19. *Deus*: Imò, *Deus noster, Deus vnus est.* Hæc Deut.6. tamen nomina etiam hominibus tribuuntur: Tu pater es filiorum tuorum, Tu te iactas Doctorem Leydensis Academiæ: *Cuncta quæ fecit Deus, erant valdè bona*: deniq; *Illos vocant Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Deus pro bonitate sua, qui participes nos effecit spiritus sui, communicauit nobiscum etiam nomina sua. Christus est *Lux vera*: at discipulis dixit, Vos estis lux mundi: Christus erat petra: at Simoni dixit: Tu es Cephas: id est petra: Vnicum est *fundamentum, Christus Iesus*: sunt tamen ciuitatis Ierusalem duodecim fundamenta, inscripta nominibus duodecim Apostolorum: Vnus est pastor ouilis Ecclesiastici: hic tamen constituit in Ecclesia Pastores, & Doctores: Vnicus est *Mediator Dei & hominum*: sed *lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris* Moysi. Dico ergo ex cõmunione nominum, non [illegible] communionem honoris aut officij. Per analogiam dicuntur eadem de Deo, & de creaturis: De Deo, per naturam: de creaturis, per partic[illegible]pationẽ.

Matt.23. Matt.19. Deut.6. Marc.12. Genes.1. Psal.81. Ioan.10. Ioan 1. Matt.5. 1.Cor.10. Matt.16. 2.Cor.3. Apoc.21. Ioan.10. Hebr.13. Ephes.4. 1.Tim.2.

Deus naturaeſtbonus,&ſua bonitas:homo bonus eſt comm unicata & infuſa bonitate. Chriſtus natura filius Dei, & nos filij Dei ſumus,*propter ſpiritũ*,qui dat⁹ eſt nobis.

m.8.

HÆRETICVS.

Vocas eam,Reginam Cælorum.

COSTERVS.

Quid mirum,ſi Chriſti Dei & Cælorum Regis mater,Regina cælorum dicatur:cũ de Sanctis omnibus affirmet B. Ioannes, *Fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.* Et Chriſt⁹,*Beati pauperes ſpiritu.* Et,*Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & conſedi cum patre meo in throno eius.* Et,*Dabo illi poteſtatem ſuper Gentes,& reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Denique, *Venite Benedicti patris mei,percipite regnum quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi.* Itaque cum S. Athanaſio non verebor dicere:*Intercede,Hera,& Domina, & Regina,& mater Dei pro nobis.* Lego amictã ſole,& coronatã ſtellis duodecim,& ſtantem à dextris Chriſti Reginam:& dubitabo cum vniuerſa Eccleſia ſalutare Reginã cælorum,& Dominam mundi?

Apoc.1.

Mat.5.

Apoc.3.

Apoc.2.

Mat.25.

Orat.de B. Virg.

Apoc.12. Pſal.44.

HÆRETICVS.

Appellas humani generis ſingularem Aduocatam,

COSTERVS.

Ioan. genuit Eccleſia multis ſæculis:*Eya ergo aduocata noſtra.* Et abhinc mille annis

S.Hi

S. Hildephonsus Episcopus: Tu es aduocata nostra à Deo, proxima Deo, adhærẽs Deo, coniuncta Deo. Aduocatum agit, qui reum tuetur, eique patrocinatur. Quamuis teste Valla, latius pateat Aduocatus, quam Patronus. Christum lego Aduocatum, sed non vnicum. Nam etiam Spiritus sanctus est aduocatus. Hoc enim nomen paracliti significat (teste B. Aug.) *qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Et Sancti agũt aduocatos nostros: dum causam nostram apud Deum promouent. Id faciebat Iere. post mortẽ: & Angelus Raphael, qui obtulit Domino orationes Tobiæ: & Angelus Zachariæ & Danielis, cũ Deũ pro populo precarentur. Christus singularis est aduocatus, qui cũ authoritate intercedit, & suo iure postulat, quod sibi debetur, nempè quod sanguine suo cõparauit: Sanctorum preces Christi meritis & patrocinio nituntur. Christus propter se petit: Sancti propter Christũ. B. Virgo autẽ præ cæteris Sanctis dicitur Aduocata singularis: quia mater Regis, nullum supra se, præter Deum agnoscens: & quicquid Deus nõ est, sub se habens. Cui meritò Christus semper illud Salomonis respõdet: *Pete mater mea, non enim fas est vt auertã faciem tuã*. Itaque recte B. Irenæus: *Sicut Eua seducta est, vt effugeret Deum: Sic MARIA suasa est obedire Deo, vt Virginis Euæ virgo MARIA fieret aduocata. Virginis, inquã, Euæ*, hoc est, totius generis humani, de Eua propagatur.

Lib. de virginitate.

1. Ioan. 2. Tract. 74. in Ioan.

Rom. 8. 2. Mach. 15. Tob. 12. Zach. 1. Dan. 10.

3. Reg. 2. Lib. 5. contra hæres.

HÆRETICVS.

Matrem Christi non solùm Christo in multis componitis, sed interdum etiã anteponitis: vt est illud, *Nostra pians scelera, iuvẽ matris impera Redemptori.* Denique fidem, spẽ & charitatẽ animis indẽdi, in aduersis seruandi, ac tandem in cælis beandi potestatem MARIAE adscribitis.

COSTERVS.

Absit, vt Christo quemquam Sanctorũ æquemus: multo minus, præponamus. Nihil ab illis petimus, tanquam ab Auctoribus donorum, sed vt à precatoribus. Christi est dare gratiam & gloriam, fidem, spem, & charitatem: Sanctorum, impetrare. Id Ecclesia distinguit in Litaniis: *Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis: Sancta Maria, ora pro nobis.* Itaque dum à Sanctis beneficia diuina poscimus, ea nobis ipsorum precibus concedi oramus: *Tua per peccata dulcisona, nobis da reis veniam per sæcula.* Et sanè parũ refert, an verbis hoc semper exprimamus: quam mens nostra id cogitat. Cum Apostolus Petrus claudo diceret, *Quod habeo, hoc tibi do, in nomine IESV surge & ambula*: Et Apostolus Paulus, dũ cupit omnes saluos facere, non legũtur de virtute sua, sed de Christi potẽtia: quam Paulus laboribus, & Petrus oratione impetrarant. Christus est immediatus ad Deum Mediator: Sancti, mediati. Nam, vt ait Diuus Bernardus, *Opus est mediatore ad mediatorem istum: nec alter nobis Mediator, quàm MARIA.* Illud itaq;

Act. 3. 1. Cor. 9.

Serm. de B. Virg.

impe

impera redemptori: non imperium Dominæ, sed efficacem orationem matris indicat: quæ nō minus suo modo tū ob mātris dignitatē, tum ob filij immēsam charitatem potestdici cogere, quàm Moyses Dei iram cohibuit, cum audiret, *dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.*

HÆRETICVS.

Vocatis Stellam maris: decepti incuria librarij, qui stellam pro stillam posuit. Nā Hebræis, מר stillam, seu guttam significat ים mare. Exod. 32.

COSTERVS.

Ante Rabbinos Caluinistas non defuerūt Hebræi Christiani, qui nominis MARIAE etymon doctius inuestigarunt. Damascenus ait, compositum ex Syriaca & Hebraica radice, Syris מרה est Domina, Hebræis, ים mare: Itaque MARIA, seu מרים est Domina maris. Alij faciunt Hebræum à מרה id est, amaro, quasi amarū mare: Nam doloris gladius animam eius pertransiit: atque in canticis quæritur, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Alij deducūt à רום quod est, eleuari, vnde מרום altitudo, & מרים exaltata. Alij à ראה 1. videre à quo מראה visio, & מרים visio maris. Alij ab אור id est, à Luce, vnde מאור luminare, & מרים luminare maris. Fortasse Ecclesia, quę hāc sacratiss. virginem Maris stellam, tot sæculis nominauit, in nullam Hebraicam ra- Lib. 4. orthodox. ca. 15. Luc. 2. Cant. 1.

icem

dicem: aut nominis MARIAE deriuationem respexit: sed in solam eius, & Sanctorum gloriã. De Sanctis scripsit Daniel, *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et B. Paulus, *Sicut stella à stella differt in claritate, sic resurrectio mortuorũ.* Si cæteri sancti stellæ, Christi mater, quæ omnibus eminet, stella erit stellarũ, & maris huius nostri æstuosi stella, seu luminare: nimirum, amicta sole plus cæteris lucet, nobisque data est in singulare solamen. De qua B. Bernardus his verbis: *O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quã per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationũ: respice stellã, voca MARIAM. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellã, voca MARIAM. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra, nauiculam concusserit mentis, respice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso tegita: MARIAM. In periculis, in angustiis, in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM inuoca: non recedat ore, non recedat à corde: & vt impetres eius orationis suffragium, non desis conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras.* Hactenus ille suus Bernardus: cuius sanctitatem etiam agnouit Caluinus tuus, & reliqua

iii. 12.

or. 15.

m. 1. sup. fol. 5.

testantur innumera eius miracula.

HÆRETICVS.

Epiphanius ante 1200. annos Mariolatriam, & Costeri Societatem, & religionem damnauit.

COSTERVS.

Non arbitror istud ex animo dici. Nouit enim hæreticus (si quid vnquam in veteribus legit, & de Ecclesiæ doctrina audiuit) Collyridianos cultum diuinum MARIAE tribuisse, sacrificia ei obtulisse, & pro Dea eam coluisse. Nihil horum Ecclesia: quæ quotidie his eam verbis inuocat, *S. Maria, ora pro nobis*, Deus nõ inuocatur vt oret, sed vt authoritate sua donet. Si quãdoq; petimus à Sanctis adiuuari, id petimus ab ipsis Dei gratia, & Christi meritis, ipsorumque interceſſione & precibus fieri. Sicut mendicus ab ancilla ex heri bonis eleemosynam petit.

Hactenus cultum MARIAE carpit hæreticus. Sed quis primus eum in Ecclesiam inuexerit, de industria tacet: quod tacendum minimè fuit. Ego meo iure ab omnibus hæreticis, quibuscum hactenus egi, quærere soleo de primo illius erroris, quẽ nobis impingunt, auctore. Idem cum isto hæretico agere pergã, si fortè quid solidius adferre possit, quam Greuinchouius: Dicat igitur hæreticus iste Gomarus: Quis primus coluit Dei matrem MARIAM? quis eam primus inuocauit? proferat auctorẽ, qui illud affirmet. Si non norit, aut nõ profitetur

carpere, & Ecclesiæ veterē & catholicam doctrinam rodere. Credat potius sapien-
8. ad tissimi Augustini verbis. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus: quæ quidem toto orbe terrarum obseruãtur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, atque statuta retineri.* Et, *Similiter si quid horũ totã Dei per orbem frequentat Ecclesia.. Nam hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

DE CAP. I.

De moribus Hæreticorum.

HÆRETICVS.

QVod Catholici nominis splẽdorem vobis Pontificiis adscribis solùm, agis quidem more vestro satis confidenter, sed non verè.

COSTERVS.

Confidenter & verè audeo dicere cum
Epist. ad Tempro n. B. Patiano Episcopo: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: Illud me nuncupat, istud ostẽdit, hoc probor, inde significor.* Vin-
In commonitorio. centius Lerinẽsis eos propriè dicit Catholicos, *qui tenent id quod semper, quod vbique, quod ab omnibus creditum est.* Ago te hæretice, da cętum, qui semper, & vbique eadem credidit, & hunc fatebor Catholicum. Caluinistarum Synagoga talis non est, cum ego sim senior: neque Lutheranorum,

rum, cuius auctor sua dogmata noua anno 1517. auspicatus est. Audeo hic repetere, quod Greuinchouio sæpius inculcaui. Profer ciuitatem, aut oppidum, aut pagũ, aut villam ex vniuerso terrarum orbe, quę ante prædictum annum Domini 1517. per omnia doctrinam vestram Caluini aut Lutheri tenuerit, coluerit & seruauerit, & me habebis sectatorẽ. Ede nomen eius, quem Lutherus aut Caluinus cum suas reformationes machinarentur, suę religionis, quam meditabantur inuenerint. Ioannes Aurifaber non semel scribit Lutherum palam testatum se primum fuisse huius suæ nouitatis inuentorem. Caluinus neminem agnoscit magistrum. Itaque si Synagoga vestra neque semper fuit, (quia non ante 100. annos) neque vbique (continet enim se angustis terminis) quî credere possum vos esse Catholicos? Contra verò, si nostra Ecclesia semper idem tenuit, & vbique terrarum idem docet, cur ab ea deficiam ad Nouatores? qui cum veterum Hæreticorum more, ambiant speciosum Catholicæ nomen, rogati tamen de antiqua successione, & per orbem propagatione, nihil proferunt Catholico nomine dignum: Immo serio rogati de Catholicorum ædibus in Hollandia, ne monstrabunt domos suas, aut Symmistarum suorum, sed veterum ac orthodoxorum. Iam hi antiquissima possessione hoc nomen retinent, vt in catalogis nundinarum Francofurdiensium vo-

In serm. c. uialib.

Aug. c. 4. contra epist. fundamenti.

ceng

cent se Hæretici Protestantes: nostros autẽ Doctores, Catholicos. Neque mirum: quia cum nos pacifica possessione fruamur hoc nomine iam annis 1500, necdum inter aduersarios de iure huius nominis conuenit. Vtrique cõtendunt, Lutherani vt seniores, Caluinistæ vt seniores: & adhuc sub iudice lis est, dum singuli sibi Catholici nomen ridiculè arrogant, nec sine contradictione & pugna, qua se mutuis cõuitijs & agnominibus hęreticorum, Diabolicorum, Pseudopropheta rum, &c. proscindunt. Dic sodes, quo anno, quo auctore, qua occasione desiit Ecclesia nostra esse Catholica? & quo loco tunc fuerit vera Catholica?

HÆRETICVS.

de consec. dist. 2. c. Ego. Berenga.

Berengarius sanctissimo augustissimoq; corpori plagam tum demum imposuit, cum defecta turpiter veritate, Nicolai Papę subscribens errori, confessus est panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum: sed etiam corpus & sanguinem Domini nostri Iesv Christi esse: & sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate manibus Sacerdotum (horreo referens) tractari, frãgi, fidelium dentibus atteri. Ad erò nõ plagam corpori Christi inflixi[illegible]am sanctè cum sacris literis, Augusti[illegible], & canonibus vestris iudicauit, panẽ [illegible] more vocari corpus Christi, cùm reue[illegible]sit sacramentũ corporis

1. Cor. 11. 24. 26. Contr. Adim. c 12. de cons. di. 2. c. Hoc est quod dicimus.

poris Christi, Dominùm non dubitasse dicere, Hoc est corpus meum, quum signum daret corporis sui.

COSTERVS.

Agnosco hæreticum, Berengarij hæretici, & quinq; concilijs Episcoporũ damnati, discipulum: sed non sectatorem pœnitentiæ. Siquidem miser iste & infaustus erro, post tot lapsus & relapsus in se reuersus ipso S. Epiphaniæ festo sic locutus est moribundus, vt ait Gerson: *Hodie apparebit mihi Dominus, ad meã salutem, vt spero, propter pœnitẽtiam, aut ad damnationẽ, vt timeo propter eos, quos mea praua doctrina decepi.* Iusta causa timoris in eo, qui primus post 1050. annos à data nobis fide catholica nouitatem hanc pro viribus tutatus est & propagauit. Aliquid quidem ante eum conati fuerant Ioannes quidam Scotus, circa annum Domini 800. & Bertramus, anno 880. sed quod fides nostra altiores iecisset in cordibus Christianorum radices, facillimè euulsæ fuêre ipsorum zizaniæ.

Ser. in cœn Dom. de pœ

Hic mihi dicat hæreticus caluinista (qui horret ea referens, quæ nos de sanctissimo Christi corpore cum veteri Ecclesia docemus) quis primus hunc nostrum de Eucharistia errorem inuenit, & in orbem inuexit? Nos primum Caluini magistrum scimus Berengarium: nostræ doctrinæ primus magister quis fuit? Hìc hærer, hìc silet. Accusat erroris nouitatem, & cum Scriptura pugnantem plagas corpori Domi

Dominico inflictã: ſed quis hunc errorem tam late per orbem vniuerſum diffuderit, quis mille annis in eo Chriſtianos omnes tam fixè tenuerit, necdum excogitare potuit. Prius igitur erroris noſtri auctorem inueniat & tum de nouitate queratur.

Horret, referens Chriſti corpus in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri Videtur Chryſoſtomi homilias nunquam vidiſſe, qui de hoc Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ante annos 1200. ita ſcripſit, & auditores ſuos tum Preſbyter Antiochiæ, tum Epiſcopus Conſtantinopoli docuit: *Quot dicunt, vellem ipſius* (Chriſti) *formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta: ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas, & tu quidem veſtimenta videre cupis? ipſe verò tibi concedit nõ tantum videre, verum & manducare, & tangere, & intra te ſuſcipere.* Item, *Non tantum ſe præbet capientibus videndum, ſed & palpandum, & comedendum, & carni dentes infigere* (hic horret Hæreticus) *& compleari, & omne deſiderium implere.*

Hom. 60. ad pop. Antioch. item. 83. in Matth.

Hom. 61. ad pop.

HÆRETICVS.

Paulus vocat panem, quem Dominus diſcipulis porrexit, dicens. *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: Hoc facite in meam cõmemorationẽ.* Et, *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, & mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

1. Cor. 11. a. 24.

COSTERVS.

Hic ego repugnans Catholicæ Berenga-

rengarij professioni. Christus dixit. *Hoc est corpus meum*, quid apertius? *Quis vnquà dubitauerit?* ait Cyrillus Ierosolymitanus. *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus*, ait Hilarius. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est. Iubet nos in suam commemorationem id agere, & donec veniat, id est, in finem vsque sæculi, repetere. Paremus mandato Domini, tum in sacro Missæ sacrificio, vbi peragitur sacrificij crucis iam transacti commemoratio, vt ait Augustinus: tum in sacra communione, qua fideles efficiuntur participes oblati sacrificij, vt agnoscit B. Apostolus Paulus. Et quare, obsecro, bolus pisti & in furno cocti panis dentibus cõtritus, potius Christi mortem referat, quam verum Christi corpus, in quod panis noster diuinis verbis, (vt loquuntur veteres) transmutatur? *Vides quam operatorius sit sermo Christi?* ait B. Ambrosius. *Si ergo tanta vis est in sermone Domini* IESV, *vt inciperent esse quæ non erant*, nempe cælum & terra: *quanto magis operatorius est vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?* Nos Christi operatorium verbum retinemus, *Hoc est corpus meum*, quod ab ipso tũc dicebatur, cum eum in manu teneret, vt fatetur B. Augustinus. Est igitur Christi corpus, nõ modo in sumptione, sed & in sacerdotis manibus: atque adeo in [illegible]. *Hoc corpus* (ait Beatus Chrysostomus) *in quibus reuerita sunt magi, & viri impij & barbari? ego timere confecto,*

Cat. 4. myst. lib. 8. de Tri.

Li. 20 contra Faust. c. 18.

1. Cor. 10.

Li. 4. de Sacrãm. cap. 4.

in Psal. 33.

Homil. 24. 2. ad Cor.

cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur saltem Barbaros, nos qui cælorum ciues sumus. Illi enim cum id præsepe & tugurium tantũ, neq; eorum quicquam quæ tu intueris, viderent, summa accesserunt reuerẽtia & horrore: tu verò non in præsepi id, sed in altari, non mulierem quã in vlnis teneat, sed sacerdotẽ præsentem & spiritũ perabundè super proposita diffusũ sacrificia vides.

HÆRETICVS.

ap. 22. **Augustinus contra Adimantium agnouit veritatem?**

COSTERVS.

Verba eius sunt, *Nõ dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meũ, cũ signũ daret corporis sui.* Similẽ sententiã videas epist. 23. ad Bonifaciũ, quam pro se adferebat Berẽgarius. Cui doctissimè responderunt eius temporis Scriptores, Paschasius, Landfrancus, Guitmundus, & Algerus. Cum quibus agnosco S. Eucharistiã & verum esse corpus Domini, & signum corporis eius. Verum quidem corpus, quia verba Domini id manifestè sonant, quę in re tanti momẽti, vt potẽ in testamento suæ Sponsæ Ecclesiæ relicto, non admittũt ambiguitatem: signum autem est corporis, nempe repręsẽtatio mortis & passionis eius. Nolle porrò B. Augustinũ hic esse nudũ signũ, quale est in imaginibus aut figura, sed corporis Dominici veritatem, apertè docet alijs locis. Siquidẽ exponẽs verba tituli Psalmi 33. *ferebat se in manibus suis*, sic ait: *Hoc fratres, quod fide fieri posset in homi-*

Conc. 1.

nẽ,

ne, quis intelligat? qui enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligitur in ipso Dauid secundum literam non inuenimus. In Christo autẽ inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Quis ignorat, hominem manibus suis figuram, imaginẽ, aut signum corporis sui ferre posse? Non igitur de signo solo, sed de veritate sub signo latente loquitur B. Augustinus.

HÆRETICVS.

Canones vestri idem fatentur: De consecratione, quæstione 2. ca. Hoc est quod dicimus.

COSTERVS.

Recipimus canonem, & agnoscimus B. Augustini apud Prosperum, Landfrancum, & Algerum, verba: quæ hic prolixius recitabo, vt Hęreticus suo gladio iuguletur. *Hoc est quod dicimus, hoc modis omnib⁹ approbare cõtendimus: sacrificiũ scilicet Ecclesiæ duobus cõfici, duobus constare: visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri* IESV CHRISTI *carne & sanguine: sacramẽto & re sacramẽti, id est, corpore Christi: sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine, ipse Christus verus sit De⁹, & verus homo. Quia & hæc res illarũ rerũ naturã & veritatẽ in se cõtinet, ex quib. cõficitur cõgitur*

autem sacrificium Ecclesiæ sacramento, & re Sacramenti, id est corpore Christi. Item. *Caro eius est, quam forma panis operta in sacramento accipimus & sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus. Caro videlicet carnis & sanguis sacramentum est sanguinis. Carne & sanguine vtroq; inuisibili, intelligibili, spirituali, significatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus, palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina maiestate.* Item. *Sicut ergo cælestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cũ reuera sit sacramẽtũ corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum: vocaturq; ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, nõ rei veritate: sed significãte mysterio. Sic sacramentũ fidei, quo baptismus intelligitur, fides est.* Hic notabis quatuor. *Primum*, D. reuera in Eucharistia, quibus illa cõstat, adesse sacramentũ, id est externum signũ, & Christi corpus & sanguinem: sicut in Christo duæ naturę fuerant, humana atque Diuina. Itaque sicut fidei aduersatur, Christi humanitatem signum tantum fuisse diuinitatis, cum Christus, verus fuerit Deus & homo: ita hæreticus est, qui docet, sacramentum, solum esse & nudum signum corporis Christi, neque Christi corpus adesse, & sacramento tegi sicut humana natura tegebatur diuinitas: *Secundum* est externum sacramentum non esse substantiã panis aut vini, sed (vt Canon) formã panis & speciem vini. Hic cũ Lutheranis

putes.

putes naturam panis & vini permanere. *Tertium*, Quod Eucharistia illarum rerum veritatem & naturam in se continet, quibus constat & conficitur. Adest enim in re sacramenti Christi corpus & sanguis: in sacramento non panis igne coctus, aut vinu vitis, sed cibus & potus: Reuera enim Dominicum corpus & sanguis, non solum animos, sed corpora etiam, per species panis & vini pascit & nutrit: cum non defuerint Sancti, qui sola Eucharistia multis annis vitam prorogarint. *Quartum*, Quod hoc sacramentum externum cum inuisibili re sacramenti, id est, cum Dominico corpore, quod speciebus tegitur, sit signum eiusdem Dominici corporis visibilis: & quondam mortalis: cum in Missæ sacrificio passionem eius, mortémque ob oculos ponat.

HÆRETICVS.

Ioannem VVicleff falso dãnas, qui Christi corpus in Eucharistia non agnoscit: & Ioannem Hussum, quasi omnia fatali necessitate eueniant.

COSTERVS.

Cuperes hos Hæresiarchas Caluinisticæ tuæ sectæ patronos: vt tuam hæresim ex vno saltem aut altero sæculo ad te deriues, & inuidiam meam euadas de dogmatum tuorum nouitate, quæ 1500. annis nemo ante Caluinum per omnia secutus est. At nihil efficis. Nam VVicleff, (vt ag-

Conc. Const. sess. 8. ar. 6. 15.

scis) docuit, Deum obedire debere diabolo: neque quoq; esse vel Prælatum, vel sæcularem Dominũ, qui sit in peccato mortali. Hæc tu non fateris, sed vt hæretica damnas Ioannes Huss dogmata VViclefi recepit: de quorum iniqua damnatione querebatur, atque in publica cõcione non veritus est exclamare & dicere, *Vtinam anima mea esset tibi: vbi est anima Ioannis VVicleff.* Cæterùm cũ Hussitæ statim à morte Magistri sui Huss, Eucharistiæ sacramentum venerati sint, teste Æneа Syluio, & etiamnum venerentur atque adorent in Bohemia: non arbitror Hussum contra Magistri sui mentem Eucharistiæ cultum suis permisisse. Nihilominus sit pro vobis in hoc articulo impius VViclef cum suo Husso. Ego de vtroq; modestius locutus sum: quia minor est Christi iniuria, si cum pane dicatur adesse, quam si penitus dicatur abesse: & 15 sęculis immane scelus artolatriæ in Ecclesia sua nemine Catholico viro reclamante toleraſſe, eámque tot miraculis & sanctorum virorum concionibus & scriptis confirmasse.

Sess. 12. ar. 25.

HÆRETICVS.

Ingenuum est, in rebus grauibus non perplexè loqui: ficus, ficus, ligonem, ligonem vocant.

COSTERVS.

Ergo vobis Christus esse est ingenuus, qui hoc quod manum Crebat & discipulis porrigebat, corpus suum dixit: non enim fateris.

fateris CHRISTVM suis manibus aliud, quam panem habuisse.

HÆRETICVS.

Magnus vir Lutherus putida accusatione traducitur, tanquam in virginem MARIAM iniuriosus.

COSTERVS.

Lutherus subinde B. Virginẽ prædicat: sed suo more. Agnoscit peccasse nõ semel, & parem esse cæteris hominibus peccatricem: externa iustitia Christi imputata, non autem interna inhærente iustam. Quæ sũma est & in Christum, & in matrem eius blasphemia. Hunc cur vocas magnum virum: quem tui Symmistæ nominant proteruum, procacem, à dæmone possessum, & qui habeat (vt Tigurini loquuntur) indiabolatum, superdiabolatum, perdiabolatum, blasphemum cor, & mendax? Deus (inquit Conradus Reys sacramentarius) *propter peccatum superbiæ, qua sese* (Lutherus) *extulit, quemadmodum pleráque eius scripta testificantur, verum illi spiritum abstulit: vti prophetis illis 3. reg. 22. atque in eius locum, iracundum, fastuosum atque mendacem spiritum dedit. Atque hic mendax spiritus manebit in iis omnibus, qui partes eius sequuntur, nisi ad saniorem mentem reuertantur.* Zvvinglius vester eum nomina[t] *seductorem, seductorem, Christi negatorem: & M[ahomet]one deteriorem.*

Nasus cent. 2. nu. 72.

Lib. cõtra Heshusii de cœna.

Epist. ad Iherum.

HÆRETICVS.

Ecquis orthodoxus concesserit, Sanctos in cælis esse Principes, & cum Christo hæc terrena curare & administrare?

COSTERVS.

Ecquis orthodoxus hoc non conceſſerit cum ſcriptura ſacra & tota antiquitate? Nonne verbum Dei facit eos Reges & Sacerdotes? Nonne eos collocat in throno Chriſti? Nonne dat illis poteſtatem ſuper Gentes? Quid eſt illud Exultabunt Sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus ſuis, exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: Vt faciant in eis iudicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius: Si ſunt Reges, ergo Principes. Si in throno Chriſti ſedent, & vindictã exercent in Reges & Nationes, ergo curant hæc terrena.

Apoc. 1. Apoc. 1. Apoc. 2. Pſa. 149.

Et quis eſt Sanctorum veterum, qui non innocarit Sanctos, & ab illis iam cum Chriſto regnantibus non poſtularit? *Inclina aurem tuã, ô Maria*, ait Athanaſius, *in preces noſtras, & ne obliniſcaris populi tui*. B. Baſil. de 40. Martyribus, *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursum lætatur, hos oret: ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis*. B. Ephrem ſic ſanctiſſimam Dei genetricem alloquitur, *Tu virginum decus, corona & gaudium: Tu mundi lætitia, ô Domina, Princeps, Regina purissima, & perquam benedicta puella, ſuperanda, Dominorum Domina purissima: ſub alis tuis cuſtodi me, & protege. Miſerere mei, qui ſum luto inquinatus, qui*

Serm de Deipara.

De laudib. B. Virg.

qui sceleribus quamplurimis Creatorem Deum meum & iudicem offendi: ne aduersus me glorietur Sathanas exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne seruum tuum à tui spe destitui cognoscam, ne calumnietur me detrectantium lingua: Non mihi alia fiducia, ô Virgo sincera. Ex vlnis equidem maternis tibi, Domina mea, deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus sum: ne maleuolus Sathan me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, ô Virgo inuiolata, & præses auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis te, ô celeberrima Mater, imploro, & adnoluor tibi, Dominica mea, supplicter clamans, ne dulcis filius tuus, & vitæ omnium dator, ob multa quæ patraui scelera, tollat me de medio.

Hæc prolixius recitare volui, vt veterem Catholicorum morem intelligat, quisquis est studiosus veritatis. Hic sanctus vir notus fuit Basilio, & à sancta eruditione veteribus commendatus. Similia in reliquis scriptoribus passim inuenies: quę suo loco (si modo Anti Costerus iste eò deuenerit, & mihi vita comes fuerit) pro argumenti ratione à me adducentur.

HÆRETICVS.

Nec surdi propterea, nec debiles sunt: quod ad fœlicitatem eorum id minimè pertinet. *Abraham* (inquit Isaias) *nescuit nos, & Israel ignorauit nos: Tu Domine, Pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Isai. 63. Ioh. 14.

COSTERVS.

Ad perfectam [illegible]ctorum beatitudinem

b [illegible] perti

pertinet, ea omnia nouisse, quæ ipsos concernunt: qualia sunt, viuentiũ orationes, & honores, & cultus Ecclesiæ. Ea si nec vidét in Deo, nec audiunt relatione sanctorum
Apoc. 8. Angelorũ, qui preces nostras in cælũ deferũt, sunt profectò hac in parte & cæci & surdi. Melius B. Gregorius: *Quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* Abrahamũ
Dialog. 33. olim nescisse suos, mirũ nõ est: cum adhuc limbo sanctorũ detineretur: nondũ Christi sanguine de carcere eductus, & in cælũ euocatus. B. Hieronymus putat nescisse, nõ quia ignorarit, sed quia mores Iudæorum impios nõ approbaret. Quo modo Dominus dicturus est impiis: *Nunquam noui vos.*
Matt. 7.

HÆRETICVS.

Tollere arbitrij libertatem, non infirmat efficaciam passionis Christi, sed maximè confirmat.

COSTERVS.

Magna infirmitas passionis Dominicæ, quæ nec voluntatẽ sua seruitute liberare potuit, nec animam sordibus purgare, nec cuiquã vires ad rectè operandum prębere, neq; operibus vim aliquid apud Deũ meredi tribuere. Hæreticis nihil aliud largitur, quã externum quoddam velamẽ, quo sordes omnes foris teguntur, intus hærent.

HÆRETICVS.

Nõ iustificabitur ex operibus legis omnis caro.

COSTERVS.

Sed ex operibus fidei, quæ *fides per charitatem operatur.*
Galat. 5.

HÆRE

HÆRETICVS.

Non abrogo gratiã Dei: Nam si per Legẽ est iustitia, Christus sine causa mortuus.

COSTERVS.

Non te pudet hæc in Ecclesiam Catholicam obiicere? Quis nostrum abrogat gratiam Dei? Quis ait, per Legem esse iustitiam? Christus nos liberauit à maledicto Legis: Gratia Dei nobis ministrat vires, fide docta, & charitate adiuta.

HÆRETICVS.

Gratia seruati estis per fidem, idque non ex vobis. Dei enim donum est, nõ ex operibus: ne quis glorietur.

COSTERVS.

Fateor: sed si hæc gratia Dei donum est, non hæret foris, sed inhæret nobis: *diffusa in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hic enim est, qui in nobis orat, in nobis operatur, operibúsq; nostris, imò suis, merendi vim tribuit, & mercedem reddit. Filij Dei, spiritu Dei aguntur, & agunt, non suo, nec viribus suis. Rom. 5. Rom. 8. Isai. 26.

HÆRETICVS.

In Deum ipsum contumelia est, quod ais. Quisquis soli fidei salutem ascribit, iniustitiæ crimine manifestè Deum condemnat.

COSTERVS.

Verissima sententia est. Talis enim facit Deũ aut ignorantem, qui peccata post velum imputatæ iustitiæ nõ videat, vel iniustũ, qui impiis, & vitiosis, sordidis mercedẽ

non merentibus reddit. Mundis debentur munda, iustis præmia, operariis merces: sicut te docet Euangelica parabola. Stolidæ virgines excluſæ fuerunt à nuptiis, non quia ignorarunt Spõſum, quem cum prudentibus multa nocte expectabant: ſed quia deſides non curauerant oleum. In Chriſti iudicantis ſententia nulla fit fidei mentio, ſed operum: *Venite*, inquit, *poſſide te regnum: quia eſurientem cibaſtis, ſitientem potaſtis, &c.*

Matt. 20. Matt. 25.

HÆRETICVS.

Chriſtum propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius, ad declarandam iuſtitiam ſuam, propter remiſſionem præcedentium peccatorum.

COSTERVS.

Quid hoc ad rem? Quis negat, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo? fides in Chriſtum remittit peccata: non nuda veſtra apprehenſio, ſed fides operãs. Sicut enim ars medica morbis medetur, non ſola imaginatione, ſed pharmacis & aliis medicamentis: ita fides docet Chriſtum nouiſſe, eius Sacramentis vti, & opera fidei exercere. Chriſtum fide apprehendimus, eiúſque merita noſtris vulneribus, fide inſtructi, per Sacramenta & virtutum officia adhibemus.

HÆRETICVS.

Colligimus igitur, fide iuſtificari hominem, abſque operibus legis.

COSTE

COSTERVS.

At non absque operibus fidei. Certandum est, vt coroneris. *Iustus* (inquit B. Petrus) *vix saluabitur*. Quare? An quia nõ credit? At initium iustitiæ est fides: sed quia sola hæreticorũ apprehensio, (quam vos fidem vocatis, hactenus inauditam) non sufficit. 1. Pet. 4.

HÆRETICVS.

Quare vides opinor, Costere, quam inique orthodoxos accuses.

COSTERVS.

Absit vt quemquam orthodoxũ accusem, aut carpam. Mihi negotium est cum hæreticis: qui somnia sua, & impia mendacia Scripturarum centonibus ornata, pro ipsissima veritate, Deique verbo venditãt. Vobis sanè neque orthodoxi, neque Catholici nomen tribui potest, qui non veri, sed homonymõs (vt veteres loquuntur) Christiani estis. Si nos cum Romana Ecclesia orthodoxi non sumus, age responde veteri quæstioni meæ: quis primus doctrinam in ea corrupit? quis primus nouitates inuexit? quis primus religionem mutauit? Si nõ nos, sed vos, Caluinistæ, catholici estis, ede nomina eorum, qui centum, 200. 300. 400. ab hinc annis, religionem vestram in vlla orbis parte per omnia tenuerunt, docuerunt, & publicis ritibus vestris colue[illegible]

HÆRETICVS.

Vitiastis Scriptu[illegible]m sacram, quæ in Ge-

neſi habet : *Ipſum conteret caput tuum* : vos, *ipſa* pro *ipſum* ſubſtituiſtis, & Hebraicum הוּא reddiſtis ambiguæ lectionis.

COSTERVS.

Si noſti Hebraicè, ſcis vtique olim B. Hieronymi temporibus, (qui vetus Teſtamentum ex Hebraico tranſtulit) Bibl. puncti caruiſſe: quæ multò poſt, ad faciliorem linguæ ſacræ cognitionem, inuenta & adiecta fuerunt. Hinc fit vt הוּא variè legi poſſit. Vel הוּא ipſum, vel הִיא ipſa

lib. 1. Antiq. cap. 3. Ioſephus Hebræus legit *ipſa*: quem his verbis ſatis indicat. Præcepit vt mulier eius (ſerpentis) capiti plagas inferret: ille verò iacens hominibus eſſet aduerſus. Hunc

cap. 7. de fuga ſæculi. ſecuti ſunt plerique veteres ſanctiſſimi Patres. B. Ambroſius ſic ait: *Ipſa tibi ſeruabit caput, & tu illius calcaneum. Denique ſeruatum eſt ſerpenti, vt calcaneum mulieris, & ſeminis*

lib. 2. de Geneſi contra Manich. c. 18. *eius obſeruet: quo noceat, & venenum ſuum infundat.* Similiter B. Auguſtinus: *Ipſe* (ſerpēs) *obſeruat plantam mulieris, & ipſa obſeruat caput eius.* Non vereor hos ſequi, etiam inuitis hæreticis noſtris Rabbinaſtris. Præſertim quod Scriptura non ſerpentem cum ſemine mulieris, ſed cum ipſa muliere componat: Et ſemen illius cum ſemine huius. Scio ſanctam MARIAM [illegible] vi ſua: ſed Chriſti filij ſui, ſerpēti [illegible] & ſemen hactenus contriuiſſe. [illegible]da canit Eccleſia, *Gaude Maria virgo [illegible]nctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo [illegible]llo.* Sola, ait, quia ſola nobis Saluatorē [illegible] Redēptorem dedit:

cuius

cuius virtute vt proſtratę iacẽt hęreſes antiquæ: ita proſternũtur nouæ. Lutheri, quę in tot ſectas diſſecta, vix quicquam ſui Auctoris retinet: Anabaptiſtarum, quæ tot ferè particulas habet, quot Miniſtros aut Prædicantes: Sacramentarij, ſunt alij Caroſtadiani, alij Buceriani, alij Zvvingliani, alij Caluiniſtæ: & iſti partim communes, partim Puritani, partim Reginales. Ita à ſeſe mutuo diffluunt Chriſti permiſſu: vt mutuis paulatim gladiis intereant. Itaque pergam Eccleſiæ verbis Dei matrem inuocare: *Dignare me laudare te virgo ſacrata, da mihi virtutem contra hoſtes tuos*, Lutheriſtas, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, & *Paradiſi portæ per te nobis apertæ ſunt, quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.*

HÆRETICVS.

Sacræ literæ vnicum Chriſti corpus agnoſcunt, vos contra alterum etiam reuera affingitis, quod à Sacerdotibus, ex pane tranſubſtantiatione factum, etiam dente tangatur, frangatur, & atteratur.

COSTERVS.

Quid ſibi vult illud, *Vos*? An modernos Papiſtas ſolos dicis, an totius Eccleſiæ veteres? Dic, ſi vales, quis primus in mundum hunc errorem induxit? Tranſmutationem agnoſcunt veteres: ſicut Enchiridion meum ſuo loco teſtatur. Et ante 1200. annos ſcripſit de Euchariſtia Chryſoſtomus: *Dei benignitatem, qui* Lib. 3. de ſacerdot.

cum patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis ar-
ſom. 2. ad *ticulo omnium manibus pertractatur.* Et alibi:
12. *Chriſtus carnem ſuam & nobis reliquit, & ipſũ*
habens aſcendit. Vnicum eſt ergo corpus Domini, non duo: ſed hæretica mens tua non agnoſcit omnipotentiam Dei, quę ſicut duo corpora eodem loco poſuit, quando Chriſtus intacto Virginis vtero natus eſt, quando integro ſepulchro reſurrexit, quando ianuis clauſis ad diſcipulos intrauit, quando ſolida cælorum corpora aſcendens penetrauit: ita vnum idemq; corpus variis locis conſtituere poteſt.

HÆRETICVS.

Nonne ſacris literis Pontificum ſentẽtiam & decreta adæquatis, imò præfertis?

COSTERVS.

Nemo catholicorum id dixerit: Scripturam ſacram Spiritus ſanctus dictauit, ſingula verba ipſe compoſuit, & ſuis locis conſtituit, vt, nec iota, nec apex vnus ſuperfluat: Pontificum & Conciliorum decretis hoc vnum tribuimus, quod nullum hactenus prodierit in quo agnoſcamus errorem. Itaque non veremur dicere cum B. Petro, In Conciliis adeſſe Spiritum ſanctum, qui patrum dirigat ſentẽtias & verba: *Viſum eſt*, ait, *Spiritui ſancto, & nobis*
Act. 15. *profer* generale Concilium, quod [illegible]ore dẽ-
creuit.

HÆRETI[illegible]S.

Nonne ſacras litera[illegible] perfectionis ârguitis?

COSTE

COSTERVS.

Absit à Christiana mente talis præsumptio. Scripturam veneramur vt verbũ Dei: quod nobis vtile est *ad docendum, ad arguẽdum ad corripiendum, ad erudiendum: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Hæc omnia præstat diuina Scriptura. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scriptæ sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* 2. Tim. 3. Rom. 15.

HÆRETICVS.

Nonne eas traditionum humanarum additione violatis?

COSTERVS.

Quas vocas humanas traditiones? Ego cũ vniuersa tam vetere quam moderna Ecclesia: agnosco traditiones diuinas & Apostolicas: quas pari loco cum sacris Bibliis colo, neque minori loco, sed quodãmodo potiori habeo: tum quod illæ sunt scriptæ digito Dei in corde Ecclesiæ, sicut Enchiridion ex Ieremia & B. Paulo docuit: ista autem dictata quidem à Spiritu sancto, sed scripta manibus hominũ: tum quod Biblia scripta (loquor de libris noui Testamenti) & posteriora sint, & testimonium ab Apostolica traditione acceperint. Nemo eum vnquam Catholicus D. Augustinus, cuius blasphemię aut erroris accusauit, quod dixerit: *Euangelio non crederem, nisi mouerer Ecclesiæ auctoritas commoueret.* Contra epi fundame

Hic doce[illegible]pio, in quo fundamento 4. nitãtur vestra ist[illegible]b omnibus nostri tem-

poris

poris hæreticis audacter iactata, & impudẽter, tanquã purũ præsentẽ Dei verbũ, vsurpata axiomata: *Scriptura sacra cõtinet omnia, Nihil extra scripturam credi debet: Quicquid extra scripturam dicitur, est humana traditio?* Quibus locis hæc in Scripturis reperiuntur? Veteres omnes agnoscunt cum B. Apostolo Paulo, Apostolicas traditiones, & verbo scripta: *Tenete, ait, traditiones quas didicistis, siue per sermonẽ, siue per epistolã nostrã.* Apostoli vbique traditionis meminerunt: vix vllus Scripturæ noui Testamẽti. *Si quis,* inquit Paulus, *euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, & quod accepistis, anathema sit.* Et B. Ioãnes, Quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Ex quo angulo prodiit impiũ & mendax vestrũ dogma, quã ex insano cerebro hęretico, quod hæretica & impellẽte audacia nõ veretur nouum cõminisci articulũ fidei, & se pro Deo imperitæ plebeculæ proponere orãdũ. Quisquis articulum fidei condit, Deus est: Hæreticus condit hunc nouũ fidei articulũ, ergo est Deus, hoc est, pro Deo se exponit. Solue, si potes, hũc syllogismum. Plura de his in proxima de Scriptura controuersia, ad quã me remittis. HÆRET.

Cũ Christus solus, natura & vita, perfectè sanctus sit, vos hanc geminam sanctitatis tum naturæ, tum vitę dignitatem virgini Mariæ: alteram verò etiam quibusdam sanctis cõtra sacrarum literarum sententiã, vendicatis. OSTERVS.

Christum Dei filiũ agnoscimus natura, vita

vita,& omnibus modis ſanctiſſimũ,auctorẽ & cõſeruatorẽ ſanctitatis. Cui nihil cũ originali peccato cõmune:vt qui ex Adamo,non naturali propagatione,ſed operâ Spiritus S.ex virgine natus eſt,&Deus homomo factus. Cæteri oẽs hões in hũc mũdũ venerũt originali peccato maculati: & filiæ iræ:iis exceptis, quos ſingulari priuilegio ab hoc malo exemit. Virginẽ matrẽ ab omni prorſus peccato,nõ modo actuali (vt hodie Catholici omnes agnoſcunt) ſed etiã originali,(vt potior eorũ pars non immeritò fatetur) præſeruauit: ne filius Dei,qui nihil vſqueadeo atq; peccatũ deteſtatur,ex ea carne carnẽ ſuſciperet,quæ fuiſſet quandóq;mãcipum diaboli.Ideoq; cũ B.Aug.quoties de peccatis agimus,Dei matrẽ excluſam volumus.*Excepta*, inquit, *ſancta virg.Maria,de qua propter honorẽ Domini,nullã prorſus,cũ de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem. Vnde.n.ſcimus,quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum,quem conſtat nullum habuiſſe peccatum?* In his B.Aug.verbis,notabis 1.illud, *vnde ſcimus*,ſatis indicare,apud Catholicos nũquã fuiſſe pro re certa, & fide tenenda creditum, virginem matrem ſine omni peccato conceptam:ideoque non defuiſſe grauiſſimos Auctores qui contrariam opinionem tenerent. Secundò, Quod propter honorem Domini, nullam voluerit de matre Domini haberi quæſtio[illegible]em

Li de nat. & gratia,ca.36

nem, cum de peccatis agitur: quia indignũ Domino esset, de peccatrice carne nasci, sicut paulò ante diximus. 3. Ideo hoc priuilegium ei collatum, vt vinceret omni ex parte peccatum: quod omni ex parte non vinceret, si fuisset aliquãdo peccato subiecta. Itaque sicut tu tibi spõsam ex omni parte prẽstãtissimã eligeres, & multò magis, (si in tua potestate foret) nobilissimã & opulẽtissimãmatrẽ: Ita Christ⁹ Deus & creator, sibi matrẽ formauit tanto filio dignã. Rectè igitur Ambrosius eam nominat *incorruptam Virginem, per gratiam, ab omni integram labe peccati*, Ieremiam, & Ioannẽ Baptistã legimus in vtero materno sanctificatos: Ioannem etiam repletum Spiritu sancto præ gaudio exultasse, matremque sua abũdãtia replesse. Hi concepti in peccato, sine peccato nascebantur. Vide Origenẽ, Athanasium, Cyprianum, Cyrillum Ierosolymitanum, Ambrosium, & plures alios. Quid Christo derogatur, si hos peculiari Dei priuilegio fateamur à natiuitate sanctos: cum id Scriptura, iuxta veterem ab Ecclesia receptam interpretationem, testetur?

Vitæ sanctimoniam cur non tribuamus piis Christianis: de quibus Apostolus ait, *Nihil damnationis est his qui sunt in Christo* IESV. *Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis: eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* An, quia amissus est *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, iniuriam illi facit, qui eius luce

er.22. in Ps 118.ver.8. er.1. uc.1. Hom.4.7.8. er 4. contra Arian. Epist. ps. Iubaianum. Catech.3 In Luc.1.

Rom.3. 1.Cor.6. Ies.5. Ioan.1.

luce docet fideliũ corda per fidem & internam gratiã atque iuſtitiam purgari & illuſtrari? Hæreant noui Barbaritæ in ſordibus ſuis: & ſeriò cogitent nihil coinquinatũ aut immundum in ciuitatem cęleſtẽ admittendum, ſed ad ſpiritus immundos, & volucres immundas reijciendum. A poc. 22. A poc. 18.

HÆRETICVS.

Vos Chriſti ſacrificium veſtris Sacerdotibus aſſcribitis.

COSTERVS.

Qui vos? Da primũ, qui ſacrificium Miſſę obtulit, & tanta blaſphemia totum orbẽ infecit. Chriſtum agnoſcimus ſummum & vnicum Sacerdotem, qui vnico crucis ſacrificio lytrum peccatorum ſoluit, & pharmacum confecit. Hoc porrò lytrum & pharmacum in Eccleſia ſua Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedech, per ſacrificium Miſſæ fidelibus ſuis adhibet: vt ſingulorum vulnera curentur, & debita ſoluantur. Sacerdotes noſtri nihil ex ſe agũt: ipſi ſunt miniſtri, Chriſtus ſacerdos ore eorum ſacra verba profert, ipſe immutat (ait Chryſoſtomus) ipſe ſacrificat. Sed de his plura ſuo loco. Hom. 60. ad pop.

HÆRETICVS.

Chriſti [illegible] merita & ſatisfactionem enerua-tis, cùm ſatisfactiones humanas & Sanctorũ merita ad iram [illegible] placandam, cum Chriſto concurrere do[illegible]tis.

TE

COSTERVS.

Cur huius tanti erroris primum auctorẽ non adfers: nonne tota vetuſtas meminit ſatisfactionis, & ſecũdæ tabulę, quę eſt pœnitentia, poſt naufragium? Chriſtus ſatisfecit: ſed cum Apoſtolos ſuos, & in ipſis ſacerdotes ſucceſſores, conſtituit Eccleſiaſtici tribunalis Iudices, voluit ab ipſis hac ratione Chriſtianis per pœnitentiã remitti peccata, vt aliquid pœnæ luerent. Non enim ait: Ite, remittite omnibus peccata, ſicut, Ite, baptizate omnes gentes: ſed: *Quorũ remiſeritis peccata, remittentur eis.* Hoc eſt, more Iudicum peccata condonabitis, ea cognoſcetis, ea iudicabitis, eis mulctam imponetis. Quid iſtud derogat Chriſto, à cuius meritis & ſatisfactione pœnæ noſtræ vim ſatisfaciendi accipiunt?

Matth. 18. Ioan. 20.

HÆRETICVS.

Interceſſionis etiam Chriſti præſtantiam tollitis: quum ſanctos etiam ſuis meritis pro nobis intercedere affirmatis.

COSTERVS.

Etiam hic deſidero primum auctorem. Video enim veteres per ſanctorum merita Deum precari, & Sanctos veteris Legis ſua nonnunquam merita in precibus obtẽdiſſe. *Memẽto Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Et Ezechias rex: *Memẽto Domine quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Tantam vim habet Chriſti paſſio, vt

Pſal. 131. Iſa. 38.

S

SS. operibus det vitam & facultatem merendi propter inhabitantem ſpiritũ in eis.

HÆRETICVS.

De regno Chriſti nihil non eſt à vobis violatum. Sacræ literæ ſtatuunt Chriſtum vnicum Dominũ, Regem & protectorem noſtrum: vos virginem Mariam cælorum reginam dominam veſtram, & aſylum prędicatis.

COSTERVS.

Quis primus? Si Chriſtus vnicus rex, ad quid reges mundi, quibus iubent Apoſtoli pareri & tributum pendi? An forte idcirco vos Caluiniſtæ Democratiam Helueticam amatis, & quantum in vobis eſt, vbique curatis. Regeſq; ſuis regnis excluditis, vt ſub vnico Rege Chriſto libertate veſtra fruamini? catholici more Scripturæ adorant Reges ſuos: colunt S. Mariam cælorum Reginam venerantur Sanctos omnes Reges cęleſtes, & Chriſto nihil de regno ſuo demũr, qui ſolus eſt rex regnum, & Dominus Dominantium. Alij omnes ab ipſo regnum accipiunt: Terreni quidem, vt hîc in terris ceu miniſtri eius Remp adminiſtrẽt (*miniſtri enim Dei ſunt*) Sancti verò cæleſtes, vt cum ipſo ipſius meritis & beneficio mundo dominentur, ſicut antea diximus. Rom. 13.

HÆRETICVS.

Sacræ literæ docent Chriſtum vnicum Eccleſiæ ſuæ Legiſlatorem, & Magiſtrum: veſtri Pontifices hanc auctoritatem, imò plenam in omnia poteſtatem ſibi vendicant & aſcribunt.

COSTERVS.

Quis inter 236. Romanos Pontifices, qui ab exordio Ecclesiæ in cathedra S. Petri sederunt hanc sibi authoritatẽ primus arrogauit? Cur non aliquis Sanctorum Patrum tot seculis hanc insolentem audaciam carpsit, aut repressit? Cur omnes potius ad eam Sedem in quæstionibus Ecclesiasticis & difficultatibus recurrerunt, eiusque sententiam & auxilium implorauerunt? Hinc enim tot Decreta & Decretales Pontificum Epistolæ: quia ad eos ex toto orbe dubia, tanquã ad cõmunem omniũ Matrem & Magistrã, deferebantur. Agnoscit hoc B. Hieronym. qui Pontifici Damaso in ecclesiasticis Epistolis adiutor fuit. Si nulla decreta, prẽter Scripturam sacram in his, quæ Dei cultum cõcernunt, admittenda sunt: cur tot ante annos mille conuenêre Concilia? quorum est, & semper fuit, saluberrima (vt ait B. August.) in Ecclesia authoritas. Cur vos Caluinistæ toties conciliabula cogitis? Memini annis ab hinc ferè 40. Fredericum Comitẽ Palatinum Rheni, insignem Caluinistæ sectæ patronum, varia & pugnantia de cœna Dominica edidisse decreta. Nunc iussit azymũ panem nostrum, quo in Sacrificio vtimur, seruari, nunc panũ aromaticum, ceu nobiliorem porrigi: sed quia dentibus molestus erat dentibus senum & vetularum, restituit panem cibatium: quia panem nostrum quotidianum

Epist. 118.

tidianum à Deo petimus. Quid in Anglica decreta tot horrẽda & nefanda arguis? cur non Hollandica vestra mãdata, quibus imbellis plebs supra vires premitur? Si igitur vobis cæteritque Nouatoribus permissum est leges & canones edere, quid ni etiam sacris cõciliis & Ecclesiasticis Principibus? Act. 15. Apostoli cauerunt, ne quis Gentilium idolis immolata, sanguinẽ, aut suffocatũ gustaret: cur hãc potestatem sibi arrogarunt? Dicis, te non aduersari Legibus aut decretis omnibus sed ijs tãtum quę cum Diuina lege pugnant, aut eam sua additione violant. At tu mihi vel vnum profer Ecclesiasticum decretum quod sit in hoc vitio. Adferes, scio, multa, quæ tuo & Symmistarum tuorum iudicio, corrumpant scripturam: at quia vos hæretici estis, & fanatici iudicij, non pluris vestra arbitria, quam stultorum deliramenta facio. Tot sæculis clamarunt omnes veteres seruanda esse Maiorum decreta, & quod semel constitutum fuit, nullis alijs legibus innouandum: tantique fecerũt vetustissima Concilia Patrum canones, vt ab ijs nec latum vnguam auderent recedere. Sciebãt enim Spiritus sancti gratia dicta, quæ ab illis definiebantur. 35. quæst. 9. cap. 1. 2.

HÆRETICVS.

Beneficia à christo nobis parta conspurcatis. Nam ea inuitis: cum miseria vnde à Christo liberamur, mirificè extenuatis. Nam sacræ literæ clamant, omnia peccata

mereri mortem: vos contra, quædam natura sua venialia statuitis.

COSTERVS.

Agnosco hic discipulum Iouiniani & Pelagij: qui nullum discrimen inter mortale peccatum & veniale constituerũt, cũ dicat Scriptura, *Non est iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Attamen nunquã defuisse iustos, multis locis docent Sacræ literæ. Apostoli iusti erant & mundi, teste Saluatore nostro: tamen de se, suique similibus dixit B. Ioannes, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et B. Iacobus: *In multis offendimus omnes.* Itaque rectè B. Hieronymus, *Iustos esse, concedo: sine omni autem peccato, omninò non assentior.* Et B. Ambrosius, agens de iustitia parentum B. Ioannis Baptistæ, *Quid*, ait, *ad hoc referunt, qui peccatis suis solatia præferentes, sine peccatis frequentibus hominem putant esse nõ posse? Et vtuntur versiculo, quia scriptũ est in Iob: Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei vita sit in terra. Quibus respondendum est, prius vt, quid sit hominem sine peccato esse, definiant. Vtrum, nunquã omninò peccasse, an desiisse peccare? Si enim hoc putãt sine peccato esse, desisse peccare, & ipse consentio: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Si autẽ qui veterũ errorem correxerit, & in eam se vitæ transformauerit qualitatem, vt temperet à peccato, negant absti[illegible] dictis, non possumus in eorum conuenire sententiam: cum loquamur quia sic Dominus [illegible]xit Ecclesiam, vt exhiberet sibi ipsi gloriosam, & nõ habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta*

an. 13.
Ioan. 1.
cob. 13.
b. 2. contra
elag.
b. 1. in Luc.
b. 14. iuxta
o.

om. 13.

Ephes. 5.

sancta & immaculata. Et B. Aug. *Quamuis diabolus sit auctor & princeps omniũ peccatorũ, nõ tamẽ filios diaboli faciũt quæcunq; peccata: peccãt enim & filij Dei. Quoniam si dixerint, se non habere peccatum, seipsos seducũt, & veritas in eis nõ est.* Lib. 3. con 2. epist. P cap. 3.

Disce iustos nõ carere omni peccato, & tamen iustos esse non impios, neque Dei hostes, sed filios. Sunt igitur peccata mortalia, de quibus Apostolus dicit, *Quia talia agunt, regnum Dei non possidebunt*: alia venialia, sine quibus vita humana non dicitur. B. Paulus admonet discipulum, vt illum constituat Episcopum, qui sine crimine est: nõ, qui sine peccato: quia si sit sine peccato, dixisset, *nemo in Ecclesia rectè ordinari posset minister*, ait idem B. Aug. Non facimus cum Stoicis, omnia peccata æqualia. Vt enim apud nos quædam scelera sic offendunt patrem, vt filium hereditate priuet, aliæ minores noxię merẽtur obiurgationẽ, aut leniorem pœnam: ita peccata quædam vi, atque natura sua priuant hominem charitate & gratia Dei, (de quibus multa Ezechiel propheta) & adducunt homini mortem æternam, alia tametsi gratiam & charitatem non tollant, minuunt tamen feruorem charitatis, non autem merentur gehennam, sed paternam correptionem. 1. Cor. 6. ibi. li. 1. c. 14. Ezech. 18.

Quis enim dicat, [illegible]olo ocioso verbo damnandum hominem Christianum? Attamen *de omni verbo ocioso reddenda erit ratio in die iudicij*, Et, *Qui superfundat aurum (Christum) ædificat lignũ, fœnum, & stipulam, saluus erit, sic tamẽ quasi* Matt. 12. 1. Cor. 3.

ex

per ignē. Itaque nō minuimus Christi beneficium, sed augemus: qui eius meritorum tantas vires prædicamus, vt sordes omnes peccatorum abluāt, neque vllum in homine peccati reatum relinquāt. Vos minuitis, & multū de viribus eorum detrahitis, qui omnes criminum vestrorum sordes retinetis; nec merito Christi intra vos vllam potestatem tribuitis, sed externis tanquam velamen obtruditis.

HÆRETICVS.

Purgatorium & satisfactiones minuunt beneficium satisfactionis Christi.

COSTERVS.

Superius dixi, his nihil minui merita Christi, sed misericordiam & iustitiam cōmendari: quam sacræ literæ toties connectunt. Baptismo remittuntur peccata prorsus, cum omni reatu pœnæ, quod per eum nascatur Christianus homo, & corpori Ecclesiæ inseratur. Pœnitentia imponitur Ecclesiæ ciuibus, quibus vitam donat adiudicandis morti æternę. At quia hoc sacramētum non est natiuitas, sed iudicium Ecclesiastici tribunalis, fit vt dimissa culpa restet luenda aliqua pœna: non defectu meritorum Christi, sed sapiente iustitia & benignitate eius, qui nos ad peccandum prouocatos, hoc tribunali cohibet. Hæc est rerum catholica doctrina. Tu si valebit & audes, eius primum auctorem edu[illegible].

HÆRE

HÆRETICVS.

Omnia quę Christi sunt, tribuitis Marię, Bernardus vocat Reginam: Anselmus eam æquat filio.

COSTERVS.

Quæ sancti isti viri scripserunt, non ideo mala, quia vobis insipida: sed ideo bona, quia vobis ingrata. Monachi fuerunt, esto: coluerunt virginem Mariam, probo: perperam de ea, & Christo indigna scripserunt, nego. Et quia tanti viri laudes & encomia eius prædicarũt, obuiis vlnis ea suscipit Catholica Ecclesia. Scis quinam fuerint Anselmus & Bernardus? sui sæculi lumina orbis: tã, si sanctitatem, quàm si eruditionem spectes. Vterq; miraculis tam in vita, quàm post mortem, clarissimus. Vix legas, qui ab Apostolorum temporibus vsque ad B. Bernandum, plura miracula ediderit. Et hæc eorum Orthodoxam fidem, non minus quàm vitæ puritatem confirmarunt: cum sine vera fide sit impossibile placere Deo. De D. Anselmo sic scribit eius contubernalis & indiuiduus comes, Edmerus: *Diuinis scripturis tantam fidem adhibebat, vt indissolubili firmitate cordis crederet, nihil in eis esse, quod solidæ veritatis tramitem vllo modo exiret. Quapropter summo studio animum ad hoc intenderat, quatenus iuxta fidem suam mentis cognitione mereretur percipere, quæ ipsis sensit multa caligine tecta latere.* D. Bernardus sapientiam cũm studio & Patrum lectione, tum meditatione parauit. Quam-

Lib. 1. vitæ eius.

tum in ſcriptura promouerit, teſtãtur ſcripta eius: quæ ſunt quaſi rete quoddam innumeris Scripturarum verbis contextum. Iſti nobis ſanctè ſcripſerunt, nihilque pugnans cum diuinis literis: ſed vobis impiè, & ſcripturis repugnantia. At cum illi non ferè quinq; ſæculis præceſſerint (ille enim ad cælos migrauit in Anglia anno Domini 1109 iſte in Gallia anno 1153.) & hæc (vobis) tam abſurda atque à fide aliena, Chriſtóque iniurioſa, Eccleſiis commendauerint: hic Abbas per Italiam, Germaniam & Galliã celeberrimus: ille Archiepiſcopus Cantuarienſis iiſdem in locis, & præſertim in Anglia notiſſimus: cur non aliquis veſtræ Eccleſię ſectator his contradixit? vbi erat tunc cætus veſter? vbi latitabat? Orbis vniuerſus hos viros ſuſpiciebat, venerabatur, audiebat, in eorúmque verbis tanquam in oraculis hærebat. Cur non mutiuit quiſquam de numero orthodoxæ fidei veſtræ? Ad hæc tu mihi, ſi potis es, reſponde: aut ego hac certiſſima concluſione tuam hæreſim conficiam. Caluini dogmata necdum tunc vel nata fuiſſe, vel ęr ouo excluſa: quæ demùm poſt prædictos Sanctos totis quingentis annis, ex putido cerebro Caluini prodierunt.

HÆRETICVS.

At aiunt Mariam diuinæ pietatis abyſſum, cui vult, & quando vult, aperire: & matrem ſimul cum filio inuocant?

COSTE

COSTERVS.

Hoc te scandalizat? Cur non offenderis D. Apostoli verbis: *Omnia possum in eo, qui me confortat?* Si mortalis poterat omnia, cur non mater iam immortalis, & Regina assistens à dexteris Regis? Audi igitur hæretice: Quicquid mortalis homo potest, seu Princeps potentia, seu medicus arte, seu dives opibus: id totum potest Regina cælorum gloria sua, & filij dono: qui matrem, nihil negans, honorat, vt quæ non nisi iusta, eique grata postulat pro clientibus suis. Philip. 4.

HÆRETICVS.

Tot apud vos superstitiosæ & ineptæ ceremoniæ: tot dies festi, tot templa sanctis cum Dei dedecore dicata, tot altaria, tot monasteria, tot vota, tot peregrinationes, tot ieiunia, &c.

COSTERVS.

At quis horum primus inuentor? quis primus Festorū institutor? quis primus ieiunator? quis primus ad sancta loca peregrinator? quis primus monachus, vel cœnobita? quis primus basilicas Sanctis erexit? (Nam templa soli Deo ad sacrificia, vt & altaria, sed in Sanctorum honorem constituuntur.) Missas quis primus celebrauit? quis primus earum pompas excogitauit? Hæc omnia quæ tu ineptissimè blasphemas, & stolidissimè calūniaris, totis 1500. annis per orbem vniuersum viguerunt,

vigent, & Ecclesiam, diuinúmque cultum ornant. Vos porcis similes estis, qui pratum amœnis & suaueolentibus floribus refertum euertunt: suáque stercora eorum loco in cænosa lacuna relinquunt. Nulla apud vos Monasteria, nulla tẽpla, nullus Ecclesiarum ornatus, nulla stata ieiunia, nisi pro Synagogistarum vestrorum arbitrio: propinæ & cauponæ vobis nõ desunt, nèc telonia cum vectigalibus, neque nuptialis domus, neque armamentaria, neq; alia id genus politica ornamenta, seu commoda. O pulchros Ecclesiæ reformatores!

HÆRETICVS.

Bonauentura psalmos Dauidicos, expuncto Dei nomine, virgini Mariæ accommodauit.

COSTERVS.

Quid inde? An negauit esse Deo canendos psalmos? Cur non mihi liceat, quę Deo tribuuntur, eíque natura conueniunt, accommodatè de Sanctis dicere? *Benedictus*
Luc. 1. *Dominus Deus Israel*, ait Zacharias: at eius vxor Elizabeth eodem nomine Dei matrem & filium prædicauit, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

HÆRETICVS.

Sponsam Christi subiecisti [illegible] atifici.

COSTERVS.

Christus eam beato Pe[illegible]o commẽdauit:
Ioan. 21. *Pasce oues meas*. Dum[illegible]a Ludimagistro filios commendas, an eipsum iure paterno priuas?

primas? Villicus, qui mercenario pastori oues suas cõmittit, an à se in ipsum transfert dominium? Heu! quanta aut malitia peccas, aut insciti a laboras?

CIRCA CAPVT II.

HÆRETICVS.

PErperam vulgi errorem secutus, Petrum diuum appellas.

COSTERVS.

Quam recens est iste error? cur tot sæculis vbique obtinuit? Et cur non vocem Diuum, qui iam diuina fruitur gloria: factus Deo similis, inquit B. Ioannes, quia Deum videt, sicuti est? 1. Ioan. 3.

HÆRETICVS.

Liberium sanctum nominas, quem orthodoxi Patres Arrianis subscripsisse testantur.

COSTERVS.

Sanctum nomino, cum Epiphanio: sanctiorem, cum Ambrosio: sanctissimum, cũ Basilio Fuerítne Arianus, vt plerique autumant, an Catholicus cum Arianis communicans, vt ego suo loco tuebor, non est hic disputandum. Fateor lapsum, non in hæresin, sed in infirmitatis vitium: quo, pertæsus molestiarum, & incommodorum exilij, damnationis Beati Athanasij subscripsit. Reddirus por[illegible] Ecclesiæ sua[illegible] post

Hærel. 75. lib. 3. de Virginib. c. 11. ft. 74.

mortem Fœlicis, talem se virum aduersus hæreses omnes præbuit, vt à Patribus iure commendetur, eiúsque nomen in Ecclesiasticas tabulas ad 23. Septembris referatur. Lapsi sunt Dauid, Petrus & plerique alij: quos Ecclesia in Sanctorum catalogo habet.

HÆRETICVS.

Rident Bonifacium VIII. à Benedicto II. vocatum Sanctæ memoriæ: ex Glossa extrauagantium.

COSTERVS.

Act. 26. Rideat diuum Paulum, qui gentilem Præsidem nominat *optimum Festum*. Tituli sunt dignitatum, non bonitatis personarum.

HÆRETICVS.

Inique agis, quod Arianorum & Donatistarum factiones cum Berengarij & Orthodoxorum zelo æquas.

COSTERVS.

Vósne orthodoxi, qui deserta fide Orthodoxa, pro impiis dogmatibus Caluini pugnatis? Hæretici estis, non solùm Catholicorum, sed Lutheranorum quoque, à quibus defeciſtis: & Anabaptistarum, qui vobiscum eodem patre Lutherano sunt, certissimo indicio. Hæreticos nouos cum veteribus quis vetat æquare?

HÆRETICVS.

Mihi Berengarius Pontifices risit Pó-

pificum

pificum nomine. Quid enim triplex Papæ Corona, veſtiúmque ſplendor, aliud quàm pompam, & pluſquam faſtum Perſicum refert? quem B. Bernardus ad Eugenium diſcipulum ſuum merito reprehendit.

COSTERVS.

Non videris Romam vidiſſe, qui de Põtificis veſtib. tam ineptè loqueris. Nam modeſto habitu vtitur domi, foríſque. In templo verò operaturus ſacris, induitur Pontificio ornatu, caſula vel pluuiali, & infula Papali, triplici corona cincta. Quid hic abſurdi? Neſcis, quanti pretij fuerint Aaronicorum Pontificum veſtes? Lege Exodum, Philonem, Ioſephum, &c. Cur nõ liceat noſtris Pontificibus conſimili ornatu diuina tractare, quæ nobis vera ſunt ſacra, illis vmbratica? Non defuerunt Apoſtolis ſacrorum ornamenta: cum Ioannes & Iacobus frater Domini, lamina aurea caput ornarint, quam Epiſcoporum noſtrorum mitræ imitantur. D. Bernardus hunc Eccleſiaſticum ornatum in nemine Pontificum carpſit. Sed Sanctiſſimum Põtificem Eugenium monuit, ne, more quorundam, maiorem rationem duceret externi cultus & Maieſtatis, quàm animarũ. Nam in his curandis eſſet Beati Petri ſucceſſor in hoc, Conſtantini. Alludit ad Conſtantini donationem, cuius verba ita habent, *Beato Syluestro Patri noſtro, ſummo Pontifici, & vniuerſali vrbis Romanæ Papæ,* &

Exdd. 28. Lib. de monarchia, lib. 3. antiq cap 7.9.

Euſeb. lib. 5. cap. 23. ex Polycrate. Epiphan. hæreſi. 78.

Diſtinct. 9. Conſtantin.

& omnibus eius ſucceſſoribus Pontificibus, qui vſque ad finem mundi in ſede B. Petri erunt ſeſſuri, de preſenti contradicimus palatium Imperij noſtri Lateranenſe: deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimúlque Phrygium: (id eſt, mitram) nec nõ & ſuperhumerale, videlicet, lorum, quod Imperiale circundare ſolet collũ, verùm etiã & chlamydem purpureã, &c. Hincmarus Archiepiſcopus Remẽſis, qui anno 850. claruit, auctor eſt, B. Remigij monitu Clotarium Regẽ Hormiſdę Põtifici Romano, ſub annum Domini 514. Regnũ, hoc eſt, diadema põtificium, auro gemmíſque pretioſum, ex Gallijs tranſmiſiſſe: quo etiamnum Romani Pontifices in ſacris cęremoniis vtuntur. Hoc diſtinctum eſt triplici corona: ſicut, teſte Ioſepho, veterum Pontificum Cydarim, ſeu mitram corona aurea triplici ordine circundabat. Quibus coronis plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ indicatur: ſicut in tribus Imperatoriis coronis, ferrea, argẽtea, aurea poteſtatis ſæcularis. En ornatus Pontificij antiquitatem: quem tu in Aarone, Ioanne, Iacobo, cæteríſque Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, audeas cum Berengario, quo pompam & faſtum Perſicum appellare: non maieſtatem Pontificiam, cui (his orthodoxis: Vobis nulla templa, nullæ cæremoniæ, nulla ſacra: ac proinde nulla maieſtas, nullus ornatus vel templorum, vel Sacerdotum,

n vita S. emigij.

Lib. 5. antiq. cap. 7.

HÆRETICVS.

Persuasum est Orthodoxis, & ex sacris literis copiosè & solidè à multis demonstratum Romanum Pontificem ipsissimum esse Antichristum.

COSTERVS.

Non Orthodoxis, sed hæreticis persuasum. Nemini enim Catholicorum ante vestri Lutheri tempora, hæc vestra noua Scripturæ commentatio vel per somnium in mentem venit. Vbi docueris, quis Pontificum primus Antichristi personam induerit, tum ego his neniis respondebo. Et ex sacris literis palam faciam, Antichristū non successione hominum in Pontificia dignitate, sed vnicum futurum hominem, qui tribus annis & sex mensibus diuinum sibi honorem arrogabit.

HÆRETICVS.

Erras, cum Petro sedem asscribis, quæ Episcopis conuenit, qui certis locis astringuntur, non Apostolis, qui omnibus gentibus destinati ac missi sunt.

COSTERVS.

Ita Prosper, *Sedes Roma Petri quæ pastoralis honoris facta caput mundi.* Et ante eum B. Cyprianus, de Nouatianis: *Nauigare audent Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est.* Ita quoque omnes, qui Romanorum Pontificum seriem referunt, à B. Petro exordiuntur Irenæus, Tertullianus, Augustinus, Optatus Mileuitan⁹, &c. Apostolus

Lib. de ingratis.
Lib. 1. Epist. 3.
Lib. cap. 3.
De præscriptione gent. epist. 105. lib. 2. ea. Donatist.

fuit Iacobus frater Dei: attamẽ Episcopus Hierosolymorum. Quis vnquam catholicorum negauit B. Petrum primum Antiochiæ, deinde Romæ sedisse, ibique supremum diem martyrio obiisse?

HÆRETICVS.

Pontifex non Simonis Petri, qui centurioni dixit, Surge: nam & ego ipse homo sum: sed Simonis magi vestigiis inhæret.

COSTERVS.

ratione 3. in rianos in Vi lantium.

Diuinum honorem quem ei more gentili deferebat Cornelius, recusauit B. Petrus, vt inquit post S. Athanasiũ, B. Hieronymus. Humilitati tribuit B. Chrysost. Põtifex, vt homo peccator, demittit se ad genua sacerdotis, dum confitetur peccata: vt Christi vicarius, admittit honorẽ. Qua de re latius in Enchiridio. Audi quid de B. Gregorio Papa scripserit, ab hinc circiter mille annis, Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. *Perreximus*, ait, *ad Abbatem Ioannem Persam. Narrauit nobis de Gregorio beatissimo Romanæ vrbis Episcopo, dicens: Cum iuissem Romam, vt adorarem ad sepulchrum Apostolorum Petri, & Pauli, Staremque die quadam in medio Ciuitatis, audio Papam Gregorium per illum locum transiturum, cogitaui itaque adorare illum. Cum autem prope iam esset Papa, viderétque me progredi vt adorarem illum, (loquor teste eo, fratres) primus ipse prostrauit se humi coram me, neque ante surrexit, quam me primo surrexisse cerneret. & cũ multa humilitate manus me manu sua mihi tria numismata tradi*

In prato spir. ap. 151.

tradidit, iubens mihi dari quæcumque erant necessaria. Videshic priscam consuetudinem. 1. peregrinandi Romam ad Apostolorum sepulchra. 2. Et adorandi. i. genibus flexis Sanctos orandi. 3. Adorandi Pontificem Romanum prostratione in terram. 4. B. Gregorij humilitatis exercitiũ, cum opus esset. Hic tamen tam humilis Gregorius est is, qui summam sui Pontificatus authoritatem & cognouit, & exercuit. Sicut ex variis epistolis eius in mea demonstratione Catholicæ veritatis copiosè docui. ad propositionem 7.

HÆRETICVS.

Mãruanus Monachus queritur, Romæ sacra omnia ante centum annos venalia fuisse.

COSTERVS.

Vitia personarum tueri nolo: sed Sedis Apostolicæ authoritatem.

HÆRETICVS.

Rident, quæ de cæremoniis coronandi Imperatoris & Regis habẽt libri ceremoniales Ecclesiæ Romanæ: & Durandus de osculis Pontificiis.

COSTERVS.

Catholici venerantur sacras ceremonias: & defient hæreticorum stultam malitiam, qui de Regum adoratione tacent, & inuido dente Pontificum honorem lacerant. Nonne semper moris fuit, non modo Pontificis Romani, sed etiam Sacerdotum pedes osculari? Legas acta B. Susannæ Martyris, quæ referent Claudium et Augustum Diocletiani Imperatoris pro[illegible]um.

Pontificis & Gabinij presbyteri pedibus, ante annos 1300. magna demissione oscula præbuisse.

HÆRETICVS.

Glossa Clementinarum ex Anglico Poëta sic scribit.

Papa stupor mundi. Et circa finem:

Nec Deus es, nec homo, quasi neuter es inter vtrumque,

Pape: quale ergo monstrum est Papa?

COSTERVS.

Cur non addis, quod ad marginem adiectum est? *Hæc verba sano modo sunt accipienda. Prolata enim sunt, ad ostendẽdũ ampliſsimã esse Pontificis potestatem.* Excedit enim omnem potestatem hominum. Ideoque supra hominẽ habet Pontifex aliquid, nec tamẽ Deus est, sed homo vicarius Christi. Audi B. Bernardum Eugenio sic loquentem: *Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, Iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues credite. Sunt quidem & alij Cæli ianitores, & gregũ pastores: sed tu tãto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: sibi vniuersi crediti sunt, vni vnus, nec modo omnium, sed & Pastorum tu vnus Pastor. Perlegat, & B. Petrũ se vnicum Christi designasse vicarium, cùm solum matri committeret.*

Dicis.

Dicis, *Bernardum superstitioni in multis addictiorem.* Superstitionem vocas, quæcumq; cum insanis hæresibus tuis non cõueniũt. Sed cum Sanctissimus iste & doctissimus pater totis 450. annis nostrum sæculum præcesserit, totique orbi tum diceret, dum hæc aliáque id genus plurima scriberet, innotuisset, de vestris nemo eius mẽdacia coarguit? Cur Deus sanctitatem vitæ eius (quæ sine fide orthodoxa constare nõ poterat) innumeris miraculis comprobauit.

HÆRETICVS.

Nunquam Patres tantam Romano Episcopo authoritatem, quantam confingitis, tribuerunt. Ieronymus omnes Episcopos facit eiusdem meriti & Sacerdotij: quia omnes Apostolorum successores sunt. Epist. ad Euagrium.

COSTERVS.

Nihil hic de primatu Romani Pontificis loquitur B. Ieronymus: sed de consuetudine quę illic obtinuerat, vt diaconi inter Præsbyteros sederent. Cum alibi sedentibus presbyteris, starent. Quid mihi, ait profers vnius vrbis consuetudinem? quid paucitatem (Diaconorum) de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vindicas? Addit porrò, vbicunque fuerit Episcopus siue Romæ, siue Eugubij, &c. eiusdem meriti est, & eiusdem sacerdotij. Quod & nos fatemur, si ordinem Episcopalem spectes: non, iurisdictionem. Audeo dicere, Minimum presbyter[illegible]

tum posse, vt Sacerdotem: quantum ipse Romanus Pontifex potest, Vt sacerdotem, dico: non vt Episcopum. Siquidem non minoris efficaciæ est Missæ sacrificiū à presbytero oblatum, aut alia Sacramenta collata: quam si ea contulisset Summus Pontifex. In ordine etiam Episcopali pares sunt Episcopi omnes: nam sicut Papa Ordinis & Confirmationis sacramentum confert, ita Episcopus Eugubinus, & quiuis alius: in Iurisdictione est disparitas. Notabis autem aduersus hæresim tuam, Episcopos omnes esse Apostolorum successores. Atque vt B. Hieronymi mentem planius intelligas, vide quid ex Bethlehem ad B. Damasum scribat: *Quamquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamē humanitas. A pastore præsidium ouis peto. Cum successore Piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatā Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.* Postea *nō noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit. Hoc est, Qui Christi non est, Antichristi est.* Quid hic nō pugnat cum impiis dogmatibus vestris? 1. magnitudo Romani Pontificis. 2. successor Petri. 3. Pastor Hieronymi: qui se eius agnoscit ouem, cum ab ipso terra mariq; diuideret, Christum primum secundum Da-

Exst. ad Damas. de nomine Hypost.

ma

masum. Hoc enim sonat, *Ego nullum primum: nisi Christum sequens Beatitudini tuæ communionis consocior.* 7. Damasi sedem esse Cathedram Petri. 5. Super hanc Petri Cathedram, in qua sedebat Damasus, ædificatam esse Ecclesiam: idque se scire, tanquam rem suo sæculo cõpertissimã. 7. Extra hanc Ecclesiam nemini magis sperandam salutem quam vitæ conseruationem extra arcã Noe. 8. Se ignorare Paulinum Antiochenum Patriarcham: à quo tamen Presbyterij dignitatem cõsecutus fuerat, & cui parere consueuit vniuersa Syria: Nõ quod Episcopum suum non coleret, sed quia in Romano Pontifice agnoscebat B. Petri primatũ. 9. Qui *cum Damaso non colligit, spargit*: breuiter describit Ecclesiæ vnitatem, & hæresum scissuras. 10. Hoc est qui Christi non est, Antichristi est. Itaq; à Damaso stat Christus, ab hæreticis Antichristus.

HÆRETICVS.

Figmenta sunt, quæ de donatione Constantini in canonibus referuntur?

COSTERVS.

Scio à plerisque etiam Catholicis in dubium vocari hanc Donationem. Mihi tamen non improbabilis est aliorũ sententia: tum quod longè ante Pipinum & Carolum Magnum ideam Romanos Pontifices vrbem Romam, & pleraſque Italiæ partes tanquam Ecclesiæ Dominiæ

tum quod Pipinus non tam donasse Romanæ Ecclesiæ, quàm ab aliis ablata restituisse scribatur ab Anastasio.

HÆRETICVS.

Pontifex Romanus regnum Galliæ, summa iniuria legitimo Regi Childerico & posteris illud ereptum, Pipino Childerici subdito tradidit.

Stephano

COSTERVS.

Quis vos hæreticos constituit iudices summorum Pontificum? Qui hæc fecit Zacharias fuit vir sanctissimus: qui executus est, erat B. Bonifacius, Germaniæ Apostolus, & glorioſus Christi martyr. Vtrumque Ecclesia Christi in numero Sanctorũ colit: quorum gesta carpitis, sicut Pharisęi facta Christi.

HÆRETICVS.

Pari iniuria Imperatorem Exarchatu spoliauit.

COSTERVS.

Cur non potius sic argumentaris. Ante octingentos annos sanctissimus Episcopus & Martyr Bonifacius, de mandato sancti Pontificis Zachariæ coronauit, & vnxit Pipinum Regem, abrogato Childerico, & optimus Pontifex Leo 3. cuius innocentiam Deus insigni miraculo contestatus est, Imperium Occidentis à Græcis transtulit in Carolum Magnum. Ergo penes Romanos Pontifices semper fuit potestas, ad tollenda incommoda Ecclesiæ, & de[illegible] animarum. Reges regnis, &

Impe-

Imperatores imperijs priuandi: præsertim cum non desint antiquiora & recentiora exempla. Sanctus Gregorius, eius nominis primus ante annos mille varia contulit priuilegia, tum Monasterio à Siagrio Episcopo Angustodini, tum Monasterio Sancti Medardi Suessione constructis: quæ vt firmiora essent, nulliusque audacia violarentur, hæc ad finem adiecit: Si quis Regum, Sacerdotum, Iudicum, aut personarum sęcularium hanc Constitutionis nostrę paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat. Post Carolum Magnum Romanus Pontifex à Francis ad Germanos transtulit Imperium. Et demùm Gregorius quintus, vel (vt alij volunt) decimus septem Electores instituit. Li. 1. epist. li. 11. in

HÆRETICVS.

Narrat gesta Bonifacij 8. in Cælestinum, & Alexandri 3. in Fredericum.

COSTERVS.

Ego non facta Pontificum tuenda suscepi, sed potestatem ipsis à Christo collatam. Nota porrò illud Friderici Barbarossę: *Non tibi, sed Petro, cui successor es, pareo.* Agnouit ergo Alexandrum B. Petri successorem: que

neque officium Pontificis, sed personam improbauit.

HÆRETICVS.

Philippus Pulcher, Galliarũ Rex, & multi Romani Imperatores, non immeritò iugum Pontificium olim excussérunt.

COSTERVS.

Quam meritò, ipsi viderint. Quia vt vos hæreticos non commendat, quod filij Belial, hoc est absque iugo viuere vultis: ita nec illi hoc nomine commendati sunt, quod se ab obedientia Romanæ Ecclesiæ subduxerunt. Non ignoramus antiquam quorundã Imperatorum factionem: qua de re non est hic disputandi locus.

HÆRETICVS.

Christus summam potestatem suam nulli mortalium communicauit, nec communicare potuit.

COSTERVS.

Ecquis istud Catholicus vnquam negauit? Christus est Deus & homo, creator, redemptor, omnipotẽs, qui sanguine suo pretium peccatorum totius mundi soluit immediatus intercessor noster ad Deum, qui gratiam & gloriam dat suis viribus & meritis, qui à nemine pendet, qui potestate sua omnia continet, qui ad peccatorum remissionem aut gratiæ collationem sacramentis non indiget, ipse est auctor sacramentorum & omnis boni, Rex regum & Dominus

minus Dominantium, eius ministri sunt reges & Principes vt ait Apostolus. Apostoli autem eorumque successores, vicarij, Legati & dispensatores mysteriorum Dei: *Pro Christo*, ait, *legatione fungimur*. Hi quicquid habẽt ab ipso habent. Sacramenta operatur Christus, vt ait Chrysostomus. Tantum discriminis est inter Christum & Pontificem, quantum inter Deum & creaturã, inter Dominum & seruum, inter operantẽ hominem, & vile instrumentum. Rom. 13. 2. Cor. 5. Homil. 60 pop.

HÆRETICVS.

Glossa extrauagantium & Hostiensis dãt illi omnem potestatem in cœlo & in terra.

COSTERVS.

Ita ait Christus Petro: *Tibi dabo claues regni Cælorum, quicquid legaueris super terrã, erit ligatũ & in cælis: Et quicquid solueris super terram, erit solutum & in cælis.* En potestatem aperiendi Cælum & claudendi. Omnis potestas Pontificis in eo est posita, vt quicquid homines ab ingressu vitæ æternæ remorari possit, illud remoueat: quicquid ad ingressum promouere, id adhibeat. Si ergo rex aut Imperator impijs moribꝰ, legibus, aut hæresibus Ecclesiæ nocumentum adfert, penes Christi Vicarium & supremum ouium Christianarum Pastorem est [illegible] scandalum amouere. Non enim [illegible] tius Matth. 16.

authoritatis à Christo ouium Domino collatum est vicario suo, ad ouium tutelam & commodum, quam à villico datur mercenario, qui pecora pascit.

HÆRETICVS.

Hostiensis sic habet. *Non videretur Deus discretus fuisse (vt cum reuerentia eius loquar) nisi vnicum post se vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset.*

COSTERVS.

Pulchrè & breuiter vos hæreticos perstringit, qui in Ecclesiam nescio quam confusam democratiam introducitis: cum Doctiorum iudicio præstet omnibus Monarchia. Non satis prospectum esset Ecclesiæ, nisi eam sub vno capite constituisset Christus. Literæ sacræ in varios sensus detorqueri possunt, sicut variè vobis, à Lutheranis, ab Anabaptistis, (vt olim ab alijs hæreticis) detortæ fuerunt. Opus est viuo interprete; qui per Spiritussancti præsentiam corrumpi non potest. Is est, & semper fuit, Rom. Pont. De quo sic B. Hieronym. Ar[illegible] annos plurimos, cum in chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum, Romanæ Vrbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus respondentis no[illegible] torum

e monogamia ad Agechiam.

HÆRE

HÆRETICVS.

Bernardus sic ad Eugenium: *Apostolis interdicitur dominatus. Ergo tu & tibi vsurpare aude aut dominans, Apostolatum, aut Apostolicus dominatum.* li.2.de Cons.

COSTERVS

Cur ea non addis, quę eodē libro sequūtur? Iuxta canones tuos alij (Episcopi) in partem sollicitudinis, tu in plenitudinē potestatis vocatus es. Aliorū potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos, qui potestatem in illos acceperunt.

Nonne si causa extiterit, tu Episcopo Cælum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo incōcussum priuilegiū tuum tibi, tam in datis clauibus, quam in ouibus commendatis. Igitur dominatum reprehendit, non Superioris authoritatem. *Principes Gentium dominantur eorum*, ait Christus, *non ita erit inter vos.* Et Beatus Petrus, *Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo.* Beatus Gregorius, vt Ioannis Constantinopolitani fastum reprimeret, sibi, successoribusq; suis dedit titulum *Serui Seruorum Dei.* Nam verè Episcopus, & quilibet superior, qui sua omnia officia in subditorum commoda referre tenetur, illisque potius Matt.20. 1.Pet.5.

tius seruire quam sibi, quid est, nisi seruus omnium seruorum? Non vt ouibus parere cogatur, sed vt ouibus necessaria salutis ministret.

HÆRETICVS.

Mala fide citas Chrysostomum: qui non de aliquo Pontificis priuilegio, sed de communi sacerdotum misterio in peccatorum remissionem orationem instituit.

COSTERVS.

s. de Sacer. Chrysostomus, Basilio iam ad Episcopatum euecto, functionum Episcopalium dignitatem ob oculos ponit. Et primum quidem à magnitudine sacrificij: deinde à reliquis eius munijs. Vbi inter cætera de Episcopis sic ait: *Qui terram incolunt atque in ea versantur, ijs commissum est, vt ea, quæ in cælis sunt dispensent: ijs datum est, vt potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaueris in terra, erunt alligata & in cælo, & quæcunque solueris in terra, erunt soluta & in cælo. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solum: id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque*

ad cælos

ad cælos vsque peruadit, vsque adeò vt quæcũque infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunque enim, ait peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit, cæterùm video eandem ipsam omnifariam potestatem à Deo filio illis traditam. Nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscunque velit in carcerem coniciendi, eosdémque rursus laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto Cælum terrâ pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant, hic vilem eoúsque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, vt vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri quandoque posse vnum aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa quæ paulò ante dixi fuerint à Deo concredita, cui ipse munus suum sordescat, quique donum sibi à Deo datum despiciat? Hæc de Episcoporum dignitate, & potestate:

Li. 2. de Sacer.

non

non pro sola peccatorum remissione, sed pro ouium ad vitam æternam directione. Cumque præcedenti libro D. Petrum Apostolorum principem dixerit, cui ouium suarum Christus curam, & successoribus eius commiserit, & Ecclesiæ præfecturam tradiderit, quæ Episcopis omnibus dicta sunt, multò magis ad Beatum Petrum, eiusque successores pertinere debent.

CIRCA CAPVT III.

HÆRETICVS.

NEc nos hæretici summus, nec vos Orthodoxi, vt audacter tibi arrogas.

COSTERVS.

Si non hæreticus, hoc est, electior, cur deserta Catholica ecclesia, Caluinianam sectam, omissis Lutheranis, Anabaptistis, Svvenckfeldianis, & innumeris alijs, elegisti? Dicis, te verbi Dei puritatem sectari. At idem dicunt illi. Itaque hæreticus es, in quem definitio hæretici conuenit.

HÆRE

HÆRETICVS.

Crudelitatem nobis affingis: Sed quid ad lanienam Parisiensem, & tyrannidem Albani.

COSTERVS.

Non ignoras, quæ alibi de immani & plusquam barbarica Caluinistarum tyrannide scripserim. Horret animus ea cogitare. Imperatorum & Regum est, insontes leges ferre. Qui magis impij quam hæretici? qui animas à veritate ad mẽdacia abducunt, qui Ecclesiam Dei lacerant, qui Principes ditionibus suis priuant, qui Reges regnis suis pellunt: qui ferro, flammis, bello, omnia terra marique vastant. Intra in cubile conscientiæ tuæ, & tecum ipse considera, anne ista istisque peiora à tuis etiamnum actitentur. Itaque optimo iure veteres Imperatores, quorum Leges in Codice Iustiniani & in nono canone Photij exstant, in hæreticos meritas pœnas statuerunt.

HÆRETICVS.

Quod à vestris Sacrificulis ita abhorreamus, non ea causa est, quam falsò prætexis, quod Christus iis clauẽ scientiæ commendauit, sed quod eam Pharisæorum instar sustulerint, & quod omni flagitiorum genere Ecclesiam corrumpant.

COSTERVS.

Age, quis eam primus sustulit? Si sublata

est, iam oportuit à 12. sæculis sublatã fuisse. Quid nobis crimini vertis, quod à Maioribus 1200. annis traditam Religionem mordicus tuemur? Flagitiis sacerdotum nostrorum vos non moueri, argumento est: tum quod non paucioribus scatean» prædicantes vestri (omitto impurissimos fontes, & Auctores vestros, Caluinum cãteriatũ, & Bezam ἀρσενοκοίτον) tum quod in eos maximè sæuiatis, quos nullius criminis reos quisquam vestrum inuenit. Quid commiserunt Iesuitæ? quid flagitij in nobis deprehendistis? Ego iam amplius annis quinquaginta in hac sancta Societate vixi, neque vllum vnquam facinus in ea tolerari vel vidi, vel audiui. Obiicitis proditiones, sicas, & ab odio excogitatas fabulas, cordatis viris ridiculas. Sica nostra, quæ metum vobis incutit, est doctrinæ integritas, cum candore vitæ. Hanc timetis: Ideóque quibusuis aliis in prouincias Caluinisticas aditum aperitis: solis Iesuitis clauditis.

HÆRETICVS.

Præpositis, ex Apostoli sententia, obediendum est, non quibusuis, sed iis qui Verbum Dei docent.

COSTERVS.

Hac in re tecum sentio. Sed cum Lutherani & Anabaptistæ non secus se verbo Dei profiteantur, atque vos Caluinistæ:

ſtæ: quibuſnam de ſinceritate diuini verbi fidem adhibebo? Nos Catholici Scripturas omnes admittimus: triplici idiomate, Hebraico, Græco, & Latino nobis datas: illorúmque ſententiam non ex proprio ingenio, ſed ex Maiorum ratione & authoritate interpretamur. Sicut de Baſilio & Gregorio Nazianzeno legimus. Cur ergo nos criminaris Dei verbo neque credere, neque niti?

HÆRETICVS.

Spretis veris Dei ſeruis, illos à Spiritu ſancto Eccleſiæ Dei præfectos opinamini, qui bona ex parte in Eccleſiam eruperunt aperta vi, aut malis artibus irrepſerunt.

COSTERVS.

Quos vocas Dei ſeruos? vóſne Caluiniſtas? At Chriſtus deſcribit vos lupos rapaces. Si qui in cathedras Catholicas vel vi irruperunt, vel fraude irrepſerunt, ipſi viderint: mihi ſanè talis nemo innotuit. Scio de impiis Anna & Caipha, qui dolo malo Pontificatum inierant, aliiſque eius farinæ à Domino dictum: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæ dixerint vobis ſeruate & facite.* Nolo cum Donatiſtis (quos tu imitari videris) Eccleſiæ vnitatem propter malos lacerare.

CIRCA CAPVT IV.

HÆRETICVS.

VArij de impura vita Monachorum queruntur.

COSTERVS.

Vitia multorum non excuso: sed nec maiorem partem accusatam volo. Cùm non desint in Monasteriis viri sanctissimi. Quos si tu nosse velis, in has te partes confer: iam enim maiori ex parte fex Monasteriorum ad vos defluxit.

HÆRETICVS.

Inique Monachos vestris primis comparas.

COSTERVS.

Æquissimè comparo: vt qui eandem seruent viuendi regulam. Græci, Basilij: Latini, maiori ex parte Augustini, & Benedicti.

HÆRETICVS.

Petrus ab Aliaco improbat tantam numerositatem & varietatem Religiosorum.

COSTERVS.

Ipse viderit, quid ea de re sentiat. Magnus Deus noster dignus est, cui omnibus viis modisque seruiatur: & Ecclesia eius sponsa in vestitu deaurata, ornetur varietate.

HÆRETICVS.

ores illi, quibus Monachos vestros

aff

affectos commemoras, vt Regum & Imperatorum zelum & opes ostentant, sic deplorandam veri ignorantiam, & superstitionem arguunt.

COSTERVS.

Rectè B. Augustinus lib. 2. de Genesi cõtra Manichæos, ca. 25. *Serpens secundum prophetiam, hæreticorum venena significat. Nulli enim loquacius promittunt scientiam boni & mali: & omnes hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos, quos simpliciter credentes inuenerũt*, sicut iste Gnosticus, Regum & Imperatorum zelum.

CIRCA CAP. V.

HÆRETICVS.

PSeudocatholicorum Põtificiorum sacra, diuina authoritate ducti, fugimus & detestamur.

COSTERVS.

Hæc vox est hæreticorum omnium: Lutherani clamant se diuina authoritate ductos, vestra sacra fugere & detestari: idem de illis & de vobis clamant Anabaptistæ, Hussitæ, Svvenckfeldiani: idem nos Catholici fatemur de singulis sectis hæreticorum. Nos quam accepimus à Maioribus, Euangelicam doctrinam retinemus: vos nouas, singuli pro arbitratu vestro, excogitatis, & pro puro verbo Dei simplici popello venditatis.

HÆRETICVS.

Optatus Mileuitanus corporis Dominici mentionem non facit, sed Eucharistiæ.

COSTERVS.

Itaque Eucharistia vobis non est corpus Domini. Mentiebatur ergo vobis Dominus, quando panem manu frangens dixit, *Hoc est corpus meum.*

HÆRETICVS.

Optatus nihil de vestro Chrismate, quo moribundos inungitis.

COSTERVS.

Valdè peregrinus es in Ecclesiæ Matris, quę te Baptismo genuit, Sacramentis. Nos moribundos non chrismate, sed, iuxta S. Iacobi admonitionem, oleo inungimus: vt eos Dominus alleuiet, & peccata, si quæ superfuerint, condonet. Est enim hæc Vnctio de numero Sacramentorum: sicut ante 1200. annos scripsit B. Pontifex Innocentius.

Iacob. 5.

Epist. 1. ad Decentium Eugubinum.

HÆRETICVS.

Cum hic nævus sit Veterum, notandus est, non imitandus.

COSTERVS.

Quis te, ô insulse hæretice, Iudicem constituit Sanctorum Patrum, qui nobis fidei doctrinam ab Apostolis acceptam, per manus tradiderunt? Cur non potius contra? Veteres Chrisma adhibuerunt: ergo imitandi sunt, non notandi. Nonne ad unam latam ianuam aperias hæreticis

bus omnibus? Vt enim quis nouum dogma excogitarit, quod cum vniuersa antiquitate pugnet: tuebitur sua somnia, impositis nævis & erroribus doctrinæ & vsui Maiorum. Sic vos euadere putatis: dum iuxta nouitiam & arbitrariam vestram sacrarum literarum interpretationem, omnes Veteres nævorum & errorum damnatis? At non euaditis: sed nouitatum conuincimini, & fastuosi arbitramenti: qui noua molimini, & nunquam visas vel auditas res in orbem inducitis.

HÆRETICVS.

Non Ariani, sed Theophilus rectæ fidei, sed non rectæ vitæ, militibus Alexandrinis ea mala patrauit.

COSTERVS.

Scio à Theophilo B. Chrysostomum sede priuatum, sed militibus Acatianis, & Lucij gentilis: nec deerant Ariani, quos ipse prius vrbe pepulerat. Cæterùm quia Theophilum rectæ fidei pronuncias, audi quid de eo Damascenus referat: *Theophilus ob illud peccatum* (in Ioannem) *non poterat animam agere, donec ei oblata fuit imago Chrysostomi, quam ille cùm adorasset, spiritum emisit.* en rectam fidem eius. Lib. 3. de Imaginib.

HÆRETICVS.

Apostolus doctrinam dæmoniorũ definit, prohibere coniugium, vrgere ab sti- 1. Timoth. 4.

nentiã à certis cibis: quę etiã Pontificiis ad amuſſim conuenire, res ipſa demonſtrat.

COSTERVS.

Admitto B. Pauli verba. Sed duo quæro. Vnum, cur tuus verborum Apoſtolicorum intellectus præferendus ſit interpretationi omnium antiquorum Patrum? Illi docent, Apoſtolum in veteres hæreticos, Simonis Magi diſcipulos, agere: qui cibos quoſdam, tanquam natura malos, vitabant, & nuptias damnabant. Certè de ſui temporis hæreticis loqui videtur Apoſtolus, cum ita ſubiungit: *Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti*: quaſi dicat: Tã vicini ſunt, vt opus ſit etiam nunc vigilantia. Et in ſequenti Epiſtola de iiſdem agẽs, *Et hos deuita*, inquit, quaſi iam ſint præ foribus. Vos vultis eos omnes damnari, qui quauis de cauſa etiam ad tempus, certorum ciborum vſum interdicunt: Et iis nuptias non permittunt, qui caſtitatis voto aſtricti, ſibi ipſis facultatem ineundi matrimonij ademerunt. Cur veſtræ expoſitioni potius adhærendum eſt, quàm veterum Patrum? Præſertim cum Apoſtoli à pleriſque cibis abſtinentiam ad tempus, Chriſtianis gentilibus ex cauſa indixerint. Et vos Caluiniani in ieiuniis veſtris, miſerum popellum veſtrum ab omni cibo in veſperam abſtinere cogitis. Si licet vobis pro arbitratu veſtro, omnem omninò cibum, à media nocte ad occaſum ſolis, i. 18. horis prohibere: cur Eccleſiæ carnium eſum 24. horis

1. Tim. 3.

Actor. 15.

ris interdicere? Alterum quæro, quis primus hanc à carnibus ieiuniorum diebus abstinentiam, & sacerdotum cœlibatum in Ecclesiâ inuexerit? His velim à te prius responderi, quam tuam ineptam ignorantiam prodas.

HÆRETICVS.

Intolerabilis impietas est, quod Bellarminus ait: Est magis malum, sic nubere: quam fornicari: quia qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum seruandum, quod non facit qui fornicatur.

COSTERVS.

Audi B. Augustinum. *Non possum quidem dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non coniugia. Sed planè non dubitauerim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vouetur Deo, adulteriis esse peiores. Si enim (quod nullo modo dubitandum est) ad offensionem Christi pertinet, cum membrum eius fidem non seruat marito: quanto grauius offenditur, cum illi ipsi non seruatur fides, in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cum enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vouit: tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vouendi necessitatem.* Lib. de bono viduitat. c. Sicut ergo grauius peccat vxor, si viuente videnteque marito palam alteri nubat, quam si priuatim scorteretur, nam his impiis nuptiis prius matrimonium damnat, & propositum in adulterio perseuerandi confirmat: Ita qui post vo[illegible]em

ducit, non modo est fornicatore peior: sed etiã adultero: quãdo spõsus Christus est spõsa muliere diuinior. Beatus Cyprianus sic habet. *Si superueniens maritus sponsam suam iacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? Et per zeli dolorem fortassis & gladium in manus sumit? Quid Christus Dominus & iudex noster, dum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam, iacere cum altero cernit, quam indignatur & irascitur? & quas pœnas incestis eiusmodi coniunctionibus comminatur?* Quid si maritus deprehendat non modo coniunctionem, sed nouas, se spreto, cum altero nuptias: quo erit animo? Quid ergo Christus? nonne extrema minabitur & infliget sponsæ suæ, quæ se contempto, cum alio iniuit connubium? Hæ nuptiæ non matrimonia sunt, sed adulteria & sacrilegia. Heu? quot sacrilegiis plenæ sunt cathedræ Prædicantium vestrorũ, Monachorum & Presbyterorum? quibus cum non licuerit apud Catholicos conniuere scortis, ad Euangelicam vestram libertatem accurrunt, vt sacrilegis nuptiis in scelere ligentur.

1 epist. 11

HÆRETICVS.

Quanto verius & sanctius Bauariæ Ducis Legatus in Concilio Tridentino liberè pronũtiauit, *Requiri vt more primitiuæ Ecclesiæ docti maritu, & ad docẽdum instructi admittantur ad sacros ordines, &c.*

COST

COSTERVS.

Hoc porrò consilium quid ad vos? qui nõ modo maritis sacra vestra cõmittitis, sed sacerdotes & monachos castitatẽ professos, ad sacrilega matrimonia si non cogitis, saltem inducitis, & passim admittitis. Quo veteris Ecclesiæ exemplo? Non damnamus Græcos: qui maritos ordinant: ad vos Hæreticos, qui ordinatos cogitis fieri maritos.

HÆRETICVS.

Satius est, teste Chrysostomo, Deum fide & charitate colere, quam externo templorum ornatu: Bonifacius martyr dixit, quondam Sacerdotes aureos ligneis calicibus vsos: nunc contra, ligneos Sacerdotes calicibus aureis. Et Petrus de Aliaco improbat in Ecclesiis tantam picturarum varietatem.

COSTERVS.

Si Bonifacius, martyr, ergo sanctus: ergo fidei orthodoxę, pro qua martyrium subiit. Cur ergo mores eius non imitaris & fidem? qui vt Germaniæ Apostolus, magnam Germaniæ partem ad Christum adduxit. Cur ab eo plantatã fidem proiicis? Ipse Missas celebrauit: Romanum Pontificẽ vt caput Ecclesiæ coluit: Monasteria erexit: aliaq; omnia sincera fide obseruauit, quę nos ab ipso tradita etiãnũ retinemus. Quis porrò Catholicus negauit, Cultum DEI, qui fide, spe, & charitate

conſtat, præſtare templorum ornatui? Illa facienda, ſed hæc non omittenda. Iuuandi pauperes: ſed cum proditore Iuda, eiusque ſequacibus Caluiniſtis, non obmurmurãdum, ſi quæ Magdalena vnguẽtum 300. denariorum in Chriſti corpus & Sacramenta effundat. Picturas laſciuas improbamus: non autem pias & deuotas Martyrum, aut Dominicæ paſſionis hiſtorias: qualem vſum ab Apoſtolorum ſæculo retinet Eccleſia. Si mentior: tu primum Imaginum cultorem, ſi vales, nomina, & ſimul eum profer, qui primus tẽpla Chriſtianorum auro argentóque ornauit. Improbare antiquum, & tot ſęculis retentum in Eccleſia morem, non eſt hominis ſani cerebri. Adduxi Conſtantini Magni donaria. Prudentius aureorum candelabrorum Eccleſiæ, temporibus. B. Laurentij anno Domini 260. meminit. Oroſius ſub annum Domini 410. tantas opes Eccleſiaſticæ ſupellectilis B. Petri fuiſſe ſcribit, vt Gothi barbari obſtupuerint. Quis hæc vnquam carpſit? Cur tunc non aliquis de veſtro grege (ſi tamen aliquis extabat) prodiit, & cum veſtro parente Iuda exclamauit, *Vt quid perditio hæc?* Poterant enim iſta venũdari magno, & dari pauperibus.

5. lib.

* * *

CIR

CIRCA CAP. VI.

HÆRETICVS.

VValdenſes malè accuſas, quod obedientiam Superioribus debitam ſuſtulerunt.

COSTERVS.

Vvaldenſium, ſeu pauperum de Lugduno hæreſis, damnata in Lateranenſi Concilio 300. Epiſcoporum ſub Alexandro III. anno 1180. originem duxit à quodã Vvaldone ſiue Lugdunẽſi: qui rogatus, cur Eccleſiæ Prælatos aſpernaretur? reſpondit. Obedire oportet Deo magis quã hominibus. Docuit *art.* 17. Nullum Iudicem poſſe damnare aliquem hominem ad vllum ſupplicium aut pœnam: quia ſcriptum ſit, Nolite iudicare, & non iudicabimini. *art.* 22. Non eſſe obediendum Romano Pontifici, aut aliis Eccleſiæ Prælatis. *art.* 25. Omnem poteſtatem tam laicalem, quam Eccleſiaſticam amitti per peccatum mortale: ideoque non eſſe parendum illi, qui mortalis culpæ reus ſit: quia huiuſmodi homo nõ poſſit Eccleſiaſtica aut ſæculari dignitate potiri. Horum Hæreticorum, generali Concilio damnatorum patrociniũ ſuſcipis, vt tuas hæreſes, (quas multas cum illis communes habes) ad aliquot ſæcula producas. Sed nihil facis. Non enim per omnia cum ipſis conuenitis. Illi docebant, *art.* 5. Vrente carnis *libidine*,

omnem carnalem commixtionem, tam inter viros quam inter fœminas, esse licitam. *art.* 13. Eucharistiæ sacramentum in die cœnæ Domini, feria v. maioris hebdomadæ confectum, esse præstantioris virtutis & efficaciæ, quam alio quolibet die consecratum: quamobrem eo solo die illud sacramentum conficiebãt. *art.* 18. Nullum iuramentum esse licitum, ne quidem coram Iudice. *art.* 19. Virum perfectum non debere manibus laborare, etiam sustentandæ vitæ causa. *art.* 34. Nullas admittebant orãdi formulas, excepta oratione Dominica. Hæc, & id genus alia, fanatica eorum dogmata, vos non admittitis, sicut nec illi pleraque multa de vestris somniis non receperunt.

HÆRETICVS.

Non Hussitæ perturbarunt orbem, sed vos: qui à vero Dei cultu defeciſtis: & homines innocentes ac pios ferro, flammaque persecuti estis.

COSTERVS.

Hic cogor antiquam quæstionem repetere, quæ iugulum tuum pro sica Iesuitica tangat: Quinam, vbi, quando, primi à vero Dei cultu defecerunt? Ede nomen personæ, loci, tẽporis: Doce, quo Romano Pontifice Roma fidem mutare cœpit. Hæc si firmis argumentis demõstrabis, ego haud dubiè ad vestras partes transibo. Scimus quo tempore Bohœmia ad Hussitarum hæresim declinauit. Tu doce, si potes, quã-

do

do ante natum Ioannem Huſs, eius dogmata tenuit: & quando primum ab iis defecit. Stultorum eſt, res tanti momenti ſine ratione affirmare. Habes Huſſum, & Huſſitas pro viris piis & innocentibus: At illi vos deteſtantur vt improbiſſimos hæreticos. Miſſas celebrãt, Euchariſtiam circumferunt, & adorant, Imagines ſeruant, nullos ſacerdotes quam ab Epiſcopis conſecratos admittunt: aliáque id genus, quæ vos, vt ſuperſtitioſos errores damnatis, à maioribus tradita retinent. Apoc. 3.

HÆRETICVS.

Idololatriæ inſtrumenta ſunt, benedictiones aquę, campanarum, palmarum, ramorum, cinerum, agnorum Dei, &c. quorum virtutes à vobis ſcriptas recitaſſe, refutaſſe eſt.

COSTERVS.

Agnoſco diſcipulum Vvaldenſium, ex numero pauperum de Lugduno Batauico: *qui dicis,* (ait Apoſtolus) *quia diues ſum: & neſcis quia tues miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus.* Reuera laboras magna cæcitate & ignoratione. Quid in his cæremoniis Eccleſiæ carpis? Benedictionem creaturarum? an effectus, quos benedictionibus precamur: & creaturis, Eccleſiæ precibus benedictis, tribuim⁹. In vtroq; ſupra modum ineptis. Quod enim ad primum attinet: Benedictiones creaturarũ ex Scripturis, & Apoſtolica traditione *[illegible]*nus. Apoc. 3.

*[illegible]*ari

Christus panibus benedixit. Et B. Paulus ait, Creaturas *sanctificari per verbũ Dei & orationẽ*. B. Basilius inter cæteras Apostolicas traditiones recẽset aquæ benedictionem. De qua B. Clemens Romanus, de S. Matthæo Apostolo loquens, *Constituit*, ait, *vt aqua & oleum ab Episcopo, aut eo absente, à Presbytero benedicatur, cum precatione vt habeant vim sanandi & depellendi morbum, fugandi dæmonem, expellẽdi insidias*. S. Dionysius Areopagita dicit, *aquas ab Episcopo sancta prece & inuocatione sanctificari*. Chrismatis benedictionem exponit cap. 4. Itaque Alexander Pontifex sextus à B. Petro, non tã instituit aquę benedictionẽ, quam quod Romana Ecclesia ab Apostolis acceperat, aliis vulgauit, & obseruandum tradidit. Non est ergo neoterica res, creaturarũ benedictio: nisi nouis hominibus, quibus noua sunt vetustissima quæque. Ad alterum venio: vbi velim te duo obseruare. Vnũ: quod ante multa sæcula viri sancti pleriq́ue aqua, aliisq́ue creaturis à se benedictis multa effecerint tum corporibus hominũ, tum animis. S. Epiphanius narrat de Iosepho, qui ex Iudæo factus Christianus, aquam cruce signans, eaq́ue calcem aspergens, incantationes dissoluit, dæmonesque fugauit. Apud S. Gregorium, Fortunatus Episcopus coxam Gothi cuiusdam aqua benedicta curauit. Et Constantius Mansiorius benedictione aquam lampadis in oleum conuertit. Apud Cassullianum, Proculus oleum ad

1. Tim. 4.

8. const. ap. c. 29.

to 2. Eccl. rarch. c. 2.

xeres. 30. Econæorum.

lib. de Dog. cap. 26. hæ. 1. cap. 5. Scapulam cap. 4.

curan

curandos morbos adhibuit: ſicut Apoſtoli, quibus mandauit Dominus vt infirmos oleo ſanarẽt. Innumera ſunt miracula Sanctorum, qui aqua, oleo, panibus, vino, alijſque id genus à ſe benedictis, miracula ediderunt. Quæ ſi quis ſcriptis mandare volet, immenſum volumen complebit. Alterum, quod te notare cupio, eſt: Hos benedictos liquores, aut alias creaturas, non adhiberi in modũ Sacramẽtorũ, vt certò, & ſine dubio, res, quę peritur, eueniat, & vt ſchola loquitur, ex opere operato: ſed vt ſperetur, & precibus adhibitis expectetur. Siquidẽ orationes Eccleſię in eas creaturas fuſæ, vim non exiguam habent ex Chriſti ſponſi promiſſione, *petite & accipietis*. Si igitur ſudaria & ſemicinctia B. Pauli, & vmbra S. Petri, quoſlibet morbos curabant, & aqua, oleũ, cæteraque id genus, à priuatis Sanctis benedicta, Chriſtianum populum ab infeſtationibus dæmonum liberare ſolent. Cur non idem præſtet aqua, oleum, palmæ, cineres, &c. à Sacerdote miniſtro Eccleſiæ precibus benedictæ? Quid hic idololatriæ eſt, cuius nõ poſſis pari iure baptiſmi aquã accuſare? Vis fatear verum, hæretice? In te, tuiſque ſimiles conuenit id, quod olim Vigilantio obiecit B. Hieronymus: Diabolus, qui vos occupat, ſe ſentit his ſacris torqueri. Proinde, ſicut in obſeſſis corporibus, ſi aqua benedicta aſpergatur, rugitus & clamores edit, (hoc enim experiẽtia quotidiana docet). Sic per vos, quorum corda poſ- Marc. 6.

fidet, omnia sacra quibus cruciatur, sublata capit. Itaq; inconditis clamoribus per vos vociferatur, esse incantationes, idololatriã, magicas artes, aspergi sacris cineribus & aqua benedicta, inungi oleo, palmas manibus gestare, cereos orbiculos Agnorũ Dei ad collũ appendere, Sanctorũ reliquias deosculari & circumferre, &c. insanis cachinnis irridens omnes Maiores nostros, qui his remedijs & instrumentis contra dęmones vsi fuerũt. Aut tu, si potes, & audes, profer eum qui primus has creaturarum benedictiones excogitauit. Alioqui te eodem loco habebo, quo B. Hieron. Vigilantium, hoc est insanum, & à dęmone possessum.

HÆRETICVS.

Mores vestri à pietate alieni sunt: quos partim doctrina, partim vitæ exemplo instillatis.

COSTERVS.

Quando de moribus Catholicorũ & infideliũ agimus, non de his loquimur, qui ex malitia hominũ oriuntur: sed qui ex vi doctrinę suscipiũtur. Scimus nullum extitisse cætum hominum, licet exiguum, in quo nõ fuerint zizania cum tritico. In duodecim Apostolis vnus Iudas: in septem Diaconis, vnus Nicolaus: in tribus filijs Noë, vnus Chã: in duobus filijs Adæ, Abrahæ & Isaac, vn⁹ Caim, vnus Ismaël, vnus Esau: in duodecim filijs Iacob, multi contaminati crimine pessimo. Cùm igitur Romana Ecclesia an-

nis

nis plus 1500. fteterit, orbemque vniuerſũ occuparit: quid mirum, ſi magnus fuerit zizanior um aceruus . ſi inter 236. Romanos Pontifices aliqui malè perierint, ſi inter tot centenos & millenos Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, & Monachos, magnus fuerit impiorũ numerus, ſi inter tot miriades Catholicorum, quamplurimi peſſimè vixerint? Hoc portò iſta in re diſcrimine Catholici ab hæreticis ſeparãtur, quod illis quamuis non omnes, multi tamen ſaluentur, & iam poſt vitam in hoc mundo ſanctè peractam, cum Chriſto in cælis regnent. Cuius rei teſtimonio ſunt crebra & inaudita miracula: non in vita modò, ſed poſt mortem edita. Quibus miraculis ſi fidem non habeas, iniuriam irrogabis Chriſti, cum impijs Phariſæis, qui doctrinam ſuam miraculis confirmari voluit. Scimus Bernardum, Franciſcum, Dominicum, Vincentium, Valentium, Franciſcum de Paula, (vt veteres omittamus, Benedictum, Martinum, Bonifacium, Hilarionem, Stilites, &c.) Romanam tenuiſſe fidem, cum fuerint Monachi, & Monaſticorum ordinum vel fundatores, vel promotores: Hos ſcimus iam æterna beatitudine cum Chriſto, Angelis, Apoſtolis, & martyribus frui. Vos autem hæretici, ſeu Caluiniſtæ, ſeu Lutherani, ſeu Anabaptiſtæ, ſeu quouis alio nomine dicamini ne quidem vnum de veſtris gregibus

prodi

producere vnquam potuistis, qui vel minimo miraculo salutem suã testificatus esset. Miseros ergo vos errones, qui illa via pertinaciter discurritis, qua nemo ad salutis terminum peruenire vnquam potuit! Aut, si potes, adduc vnum, qui de vobis post natũ Caluinum, certo testimonio diuino sciatur inferni pœnas euasisse: & ego vobiscum sentiam.

Ex vi doctrinæ, Christiani seu catholici piè viuunt, Infideles impiè: Catholica doctrina pietatem instillat, hæresis impietatẽ. Huius discriminis ea est ratio, quam D. Augustinus attingit: quod Catholica incredibilia doceat, carniq́ molesta: obedientiam, ieiunia, voluntariam paupertatem, virginitatem, vigilias, chamenias, corporis castigationes, cilicia, aliáq; id genus, quę ab Apostolorũ temporibus apud pios, prę sertim in monasterijs, semper in vsu fuerunt. Hæc pro concionibus cõmendamus: non vt hominũ inuenta vel traditiones, sicut calumniaris, nec vt pugnantia cum diuinis literis, aut prę ceptis, sed vt media, quibus effrænis caro dometur, animæq́ perturbationes tranquillentur. Ad ista tã molesta voluptoso mũdo initio persuadenda, opus fuit diuino artificio, vt homines ad fidem & amorẽ tam insolitarum rerũ inducerentur. Dedit igitur Christus primis fidei nostræ Magistris, Apostolis, Apostolicísque viris potestatem edendi miracula: quibus fides facta est Mundo, hãc esse Dei doctrinã. Mundus

a. de ciuit. & seq.

scapu. 2p. 4.

per

perſuaſus, eam obuijs vlnis quaqua verſum admiſit: & magna deuotione iã 1500. annis retinet, colit, exequitur. Inter diuina miracula hoc nõ eſt ex minimis, quod hãc Euãgelij doctrinam, carníque moleſtiſſimam ſuſceperit mundus. Ac proinde, *qui mundo credente non credit, eſt ipſe magnum prodigium*: ſicut omnes hæretici. In his locis, vbi fides olim miraculis plantata fuit, non opus eſt nouis: at vbi recens inuehitur, non deeſt Chriſtus ſuis miniſtris. Itaque in Iaponia, China, Braſilia cæteríſque nuper cognitis Regionibus, perſuadentur homines miraculis: ſicut literis eorum, qui Dei verbum illic ſeminant, & copioſum fructum colligunt, quotannis ad nos defertur. Fructus diuini verbi ſunt ijdem, quos Apoſtoli perceperunt, & quos vbique Catholici capiunt: mundi contempus, pœnitentiæ, ieiunia. Nam ſicut Apoſtolorum prædicatione primi Chriſtiani Ieroſolymis, abdicatis rebus omnibus, communem vitam duxerunt, quos Alexandrini ſub Euãgeliſta Marco imitati fuerunt, conſtructis Monaſterijs, (vt ait Caſſianus) quæ ad nos vſque perdurant: Ita eadem prædicatione permouẽtur etiamnum animi multorum Catholicorum, vt religioſam illam monaſticam vitam voluntaria paupertate, caſtitate & obedientia amplexentur. Hæc de natura Catholicæ doctrinæ. Ibid. c. 8.

Lib. 1. de inſtit. cœnob. c. 4. in præfat.

Hæreſis, ſeu infidelium dogmata, longè alia via incedũt. Quod vt clarius perſpicias

hæc tria fateri cogêris vel inuitus. 1. Totis his postremis octingentis annis Romanam Ecclesiam Europam obtinuisse: neque vsquam in vniuerso orbe nõ dico Prouinciã, vel ciuitatem, sed ne pagum quidem extitisse, qui ante Caluinum tuum vestram Doctrinam profiteretur. Si mentior: ede nomen loci: aut personarum, dic quos inuenerit Caluinus socios quorum Doctrinam promouerit. 2. In confesso est omnibus, vestram Doctrinam in orbem inducere admirabilem mutationem: & maiorem sanè, quàm CHRISTI & Moysis. Ante vos, toto orbe sacrificium Missæ obtulimus, Eucharistiã pro Deo adorauimus, Sanctos inuocauimus, eorum reliquias & imagines venerati sumus, Monasteria condidimus & sacratis virginibus repleuimus: defunctorum animas precibus iuuimus, eaque omnia fecimus, quæ etiamnum Catholicis locis seruantur: vos hæc omnia euertitis, tribuitis idololatriæ, superstitioni, incantationi, monasteria, stat. ieiunia Ecclesiæ, festos dies, & reliqua damnatis, aboletis, & doctrinis dæmoniorum asscribitis. Maxima sanè mutatio. 3. Non potes ignorare consuetudinem Dei, qui in omni religionis mutatione, diuinis signis testetur eiusmodi mutationem ex sua voluntate induci. Quo testimonio diuino hanc tam insignem mutationem confirmatis? Dicis literis factis? At idem testimonium pro se ferunt Lutherani & Anabaptistæ, hostes vestri infestissimi

mi: ſicut olim Arriani, Macedoniani, & cęte-
ra hæreticorum colluuies: Da teſtimo-
nium, quod alij vſurpare non poſſint. Quid
igitur agitis, vt populo perſuadeatis, quas
feciſtis fabulas? Si deſunt diuina, adſunt hu-
mana media & inſtrumenta, eaq; duplicia:
quędã, vt alliciant, quædam, vt cogant &
vim inferant. Sic Mahometes Aſiam obti-
nuit carnis voluptatibus, plures vxores ſe-
ctatoribus ſuis permittens, & bello in con-
tradicẽtes ſæuiens, Lutherus voluptuarius
prædicator, conceſſit ancillã, ſi nolit vxor:
ſtatimque initio ruſticorum cruentum bel-
lum mouit. Anabaptiſtæ in eodẽ libidinis
luto etiam turpius volutantur: & quid Am-
ſtelredami, atque Monaſterij VVeſtpha-
liæ egerunt, nemini eſt ignotum. Vos
Caluiniſtæ, cum cæteris hæreticis hoc
commune habetis, vt ſuperſtitioni tribua-
tis & impietati, quicquid hactenus ca-
tholici carni aduerſum ſeruarunt: vitam
monaſticam, quadrageſimam, peccato-
rum confeſſionem. Fides vobis omnia põt,
libero arbitrio caretis, continere non po-
teſtis, plenis ſordibus peccatorum in con-
ſcientia, velamini imputata Chriſti iuſtitia.
Quid inde? Sine ieiunijs, & carnis mace-
ratione, ſola fide ſaluabor. Comedamus ergo
& bibamus. Chriſtus pro nobis mortuus
fide apprehendatur: nullum peccatum tã e-
norme, quod hac fide nõ tegatur. Qualẽ ad
fertis vim? Nouit Gallia ſub Regib⁹ Catho-

licis

licis, quantoperè eorum vitæ insidiati sitis: sicut libello de demonstratione Catholicæ doctrinę palam feci. Vbi etiam tyrānides vestras Anglicanas & Belgicas aperui. Denique vobis licet Reges suis ditionibus spoliare, Catholicos exquisitis tormentis ad nouam, & hactenus non auditam religionem cogere, Monachos vtriúsque sexus proscribere, necare, persequi, in bona Ecclesiastica inuadere. Et hæc facitis, non solùm malitia, sed ex instituto doctrinæ Caluinianæ. Nōne Beza Caluini successor de Regina matre sic fuit ausus dicere? *Nulla erit solida pax nobis, nisi scropha cum catulis de medio tollatur.* Hæc ex nobili viro habeo, Bezæ familiari, qui ea dicentem audiuit.

HÆRETICVS.

Vos ferro, flammáque, leui hęresis suspicione tollitis.

COSTERVS.

Quatuor respondebo, 1. antiquorum Imperatorū legibus puniri hęreticos diuersis pœnis: infamia, deportatione, adeóque extremo supplicio. Lege Cod. Iustiniani tit. 8. De hæret. & Manichæis. Nicephorus refert Iustinianum diuersas pęnas statuisse in Acatiū. Socrates hæc verba recitat Imperatoris Constantini in Epistola ad Episcopos & popula-

b. 17. c. 9.
Nic. l. c. 6.

Hist. p. 4.

tū. *Illud etiam mādamus, vt si quis librum*

ab

ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctetur. Nam mox vt comprehensus fuerit, plectatur capite. Aiunt **Fredericū** Barbarossam anno Domini 1180. Legem tulisse de comburendis hæreticis: quem statim exequutus est Philippus Flādriæ Comes: Et nostro sæculo Ioannes Caluinus, qui Geneuæ exussit Michaelem Seruetum anno 1555. Cuius exemplum secutus Magistratus Bernensis Svvinglianus, 11. anno post extremo supplicio affecit Valentinum Gentilem.

2. Non esse iniquas has Imperatorum & Regum leges. Sicuti factis suis Caluinistæ fatentur. Galenus tres adfert causas, cur merito sit homo flagitiosus morte plectēdus. Ne viuens alijs noceat: vt illius periculo alij cautiores reddantur: Ne superstites ipsi reddantur peiores. Addi potest quarta causa: quia magnitudo flagitij mortis pœnam meretur. Fur suspendio perit, ob sublatam pecuniam, aut rem alienam: seditiosus occiditur ob rempub. perturbatam: falsarius monetæ, ob pecuniam corruptam: latro & homicida, ob vitam corporis ademptam. Hæc omnia mala tanto perniciosius perpetrat hæreticus: quo animæ, quas lædit, corporibus præstant.

Libro quod animi morc corporis temperaturam sequuntur.

3. Vehementer errare Caluinistas, aliósque hæreticos nostros: dum in odiam Catholicorum audacter affirmant, *ab re-*

quisitione Hispanica de medio tolli eos, qui leui suspicione hæreseos laborãt. Hæc erant Anglicanæ Reginæ dicenda: quæ illos Læsæ Maiestatis damnabat, qui vel orbiculos sacros, vel cereas Agni imagines, vel quiduis aliud à summo Pontifice benedictum, penes se haberent. Non sic Inquisitio: de qua ego certiùs loqui possum, qui non raro Romæ reos visitaui: & Hispanicum inquirendi modum probè noui. Res agitur summa maturitate, grauitate, modestia. Neque quisquam pro solo hæreseos crimine morte punitur, si errorem reuocet: nisi vel relapsus, vel qui hæreticum facinus perpetrasset: quale esset, sanctissimum Christi corpus in terram deiecisse, pedibus calcasse, publicum scandalum præbuisse, &c. Suspicio non habet locum, sed veritas, quæ diligentissima indagine perquisitigatur.

4. Impias esse Caluinistarum leges: qui Catholicos, & à sua nouitate alienos, hoc nomine persequũtur, quòd nouam eorum doctrinam reiiciant. Ad fidem, quam nunquam susceperit, aut professus est, nemo inuitus compelli debet: Sed cogendus est ea retinere, in quam semel iurauit. Sicut enim mulieri liberum est, huic vel illi viro nubere: at semel cum aliquo nupta, compellitur, datam fidẽ seruare: Ita nemo Catholicus compelli debet ad hæresim, quam nunquam admisit: sed hæreticus deserta Catholicæ religionis cogendus est ad

dem, quam proiecit, resumendam. Fortè in his omnibus nobiscum sentiēt Caluinistę, insignes vindices desertorum suorum. Sed in quæstionem verti poterit, sintne ipsi in hęreticorum numerum referendi? Negantem partem tuentur ipsi. Aientem autem duabus rationibus confirmo. Prior est, à communi omnium hominū voce & sententia: qui Caluinistas non solùm vt hæreticos, sed vt omnium pestilentissimos hæreticos detestantur. Ita Lutherani, ita Anabaptistæ, ita cæteri omnes sectarij: vt nihil de orbe Catholico dicam, qui Caluinistas deteriores cæteris experitur, gemit & plangit. Quod verò ipsi se ab hoc nomine alienos ducant, nemo miratur: Tum quod stultus, quo magis delirat, eo se sapientiorem arbitratur: Tum quod sceleratum sui sceleris, eiúsque nominis pudeat: Impura mulier non fert nomen meretricis, nec alieni raptor nomen furis vel latronis: Tū quod vitiosi homines sua vitia honesto velamento tegant: auarus vocat se prouidum, ambitiosus prudentem.

Altera ratio est, quia nulla subest causa, cur Lutheranos, Anabaptistas, Arianos, Nestorianos, &c. hæreticos dici oporteat: & non Caluinistas. Omnibus ex æquo cōuenit hæretici definitio. Est enim hæreticus (vt ex Ioanne de Turrecremata discimus) is, qui Christianam fidem professus, dogma falsum Catholicæ veritati contrarium, cum pertinacia tuetur. In eo conue-

Lib. 4. de Ecclesia part. 2. cap. 1.

niunt hæretici omnes: ſoláque materia, quàm quiſque ſibi eligit, differunt. Omnes noui aliquid excogitant: Ariani de Trinitate, Neſtoriani de Chriſti diuinitate, Caluiniſtæ de Euchariſtia, Lutherani de vbiquitate, aut impanatione corporis Chriſti, Anabaptiſtæ de paruulorum baptiſmo, & hi, aliique omnes ſe, dogmatáque ſua, diuinis literis tuentur. Si tu Caluiniſta hæreticus non es: profer cauſam, quæ ab aliis ſectarijs adferri nequit. Alioqui fatere te hæreticum, & electorem Caluiniani dogmatis: quod tuo iudicio magis, quam alia omnia, cum diuinis literis quadret. Adfer porrò hæreticus aliquot peccata, quæ ex vi doctrinæ noſtræ deducuntur.

HÆRETICVS.

Per impollutum Coniugij thorum, contra Dei verbum facitis pollutum.

COSTERVS.

Magis veneramur Matrimonium quam vos hæretici: qui illud cum Apoſtolo confitemur magnum Sacramentum. At qui Deo fidem datam violant nouo coniugio, eos non minùs adulteros pronunciamus, quam qui viua vxore aliam ducunt: imò verò deteriores, nempè ſacrilegos: vtpote qui ſe Deo conſecratos prophanant. Tu profer eum, qui hanc doctrinam noſtram primus tradidit.

Ephes. 5.

HÆRETICVS.

Clerum vniuerſum cum Monachis Regum & Imperatorum poteſtati, contra

DEI

Dei præscriptum, subducitis.

COSTERVS.

Veteres Imperatorum leges exemerunt Clerum à sæculari potestate, cur ea concessione non liceat perinde vti, atque re tua, quam tu nobis sponte donasses? Cod. de & Cleric

HÆRETICVS.

Pontifices pro arbitrio suo eximunt subditos à Principum suorum potestate.

COSTERVS.

Non pro arbitratu suo, sed pro Ecclesiæ, cui præsunt, necessitate. Vide quid superiùs ex B. Gregorio attulimus.

HÆRETICVS.

Non solùm Dei verbum, sed humanas traditiones virtutum regulam proponitis.

COSTERVS.

Doce, quo Dei verbo scriptum sit, Nihil præter id quod scriptum est, admittendum esse: & simul adfer Scripturam, quæ Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis Euangelia dicat, in sacris literis numeranda. Quæ de vitiis Monachorum annectis, ea non ad doctrinam sanctam referenda sunt, sed ad vitia hominum contra diuinas leges.

HÆRETICVS.

Gregorius 13. leuibus de causis concessit indulgentias.

COSTERVS.

Quid ni faceret, qui poterat, & iusta causa mouebatur? Qua de re latius ea tra-

ctatu de Indulgentiis: si mihi occasionem dederis.

HÆRETICVS.

Auricularis confessionis norma polluitis castas animas, fœdis interrogationibus.

COSTERVS.

Non vi doctrinæ Catholicæ de Sacramento confessionis. Si quis impurus Sacerdos vitio suo hoc Sacramento abutitur, non minus ne dicam magis lugemus, quàm vos, cùm quispiam de grege Ministrorum vestrorum alienum thorum violauit.

HÆRETICVS.

Cur edicto Regio Iesuitæ, tanquam Christiani orbis pestes. Gallia nuper electi sunt.

COSTERVS.

Quia id vobis Caluinistis placuit: qui fabulas cõfingitis non minus ridiculas, quã ineptas: de Sica Petri panne: de Monasterio S. Hieronymi Madridij: de Sodomita ante biennium Antuerpiæ exusto, de Iesuita qui Cracouiæ peperisset, & in oppido Nilo cum Sociis pœnam mortis dedisset: de alio qui in Anglia Reginæ mortem machinatus esset, & alia id genus quam plurima, quæ nos ridemus: non ignari priscos Christianos similes calumnias ab gentilibus sustinuisse, & S. Athanasium ab infidelibus Arianis passum fuisse. Eadem sanè calumniandi vos causa mouet, quæ [illegible]nos: non impietas vitæ, quam

hacte

hactenus in nullo Iesuita notare potuistis: sed morum integritas, & eruditio, quæ dogmata vestra & machinas euertit: & mendacia detegit. Si porrò tanta est in Iesuitis impietas, cur præter Galliam, Angliam & Hollandiam, reliquus terrarum orbis hanc tantam pestem (vt eam appellatis) à se non profligat? Cur obuuiis vlnis à Catholicis Principibus & Respub. expetuntur Iesuitæ & suscipiuntur? Cur eis Collegia magnis impensis & eriguntur, & dotantur? Cur eorum scholis & fidei tanta Iuuentus passim committitur? In solo hoc Belgio (vbi viginti domiciliis & Collegiis viuimus vltra quingenti Iesuitæ) numeramus discipulorum non pauca millia. Plura fortè in prouincia Rheni Superioris Germaniæ, Austriæ, Poloniæ, &c. Cur ad gentium conuersionem mittimur in exteras regiones, Indiam, Iapam, Cinas, Brasiliam, Peru, Mexicum, & ad extremos orbis fines? Quanta cæcitas omnium Christianorum, si vos inter videntes estis! Sequentia, vt ad calumniam, pertinent, ita refelli non debent: ne Stulto respondeatur iuxta stultitiam suam.

***

CIRCA CAPVT VII.

HÆRETICVS.

MAgnum causæ Pontificiæ subsidium in successione situm existimas.

COSTERVS.

Et quidem meritissimè: propter apertas, & quæ fallere nequeunt, Christi promissiones: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Item, *Rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Denique: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Ex his Christi certissimis verbis, conficitur 1. Ecclesiæ Dei nunquam, ne die quidem vno, defuisse vel Christum ipsum, vel Spiritum sanctum. Nō quidem vt externos spectatores, sed vt rectores, vt fidei conseruatores, vt nauis istius gubernatores. 2. Nullam hæresim, nullum errorem, nullam doctrinæ corruptelam in Ecclesiam prævaluisse. (Nam istæ sunt portæ inferi, hoc est, diabolica potestas & sapientia.) Alioquin falsum esset, *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Nos iure optimo his firmissimis arietibus contra hæreticorum machinas semper cum veteribus Patribus vti: Nos fidem nostram incorruptam per tot sæcula, ad Apostolos deducimus: Sicut enim nos credimus, ita Maiores nostri ante annos 1100. &c. crediderunt: Vos autem

Matth. 16.

eam 14.

Matth. 28.

non

non vltra Lutherum aut Caluinum vestrũ: Ergo nostra est vera Catholica & Apostolica fides: vestra autem noua nuper inuenta Religio. Ad infirmandam hanc ratiocinationem, oportebit Hæreticum duo in antecedente propositione refellere. Vnum quod fides nostra ad Apostolos deduci nequeat incorrupta: hoc vt faciat, demonstrandum illi incumbit, quando, vbi, à quo corruptela ista initiũ cœperit, & vniuersum orbem sit peruagata. Alterũ, quod ante Lutheri tempora, non defuerint prouinciæ, quæ Caluini dogmata ex omni parte tenuerint. Nisi enim vtrumque probet, manet inuictũ argumentũ meum. Cæterum videamus, an hunc respondendi modum teneat Hæreticus.

HÆRETICVS.

Duplex est in Ecclesia laudabilis successio: vna doctrinę Apostolicę, altera ministerij Ecclesiastici.

COSTERVS.

Admitto vtramque successionem: sic, vt prior continuatam & nunquam interruptam doctrinam significet, quæ ab Apostolis continuato ordine, & duratione ad nos per Maiores venerit. Siquidem vt hodie credimus in Belgio, ita creditum est ante 200. annos, sicut paulo ante diximus: vsque ad annum 690. quando S. Vvillebrordus cum 12. sociis in has partes venit, Romanámque fidem prædicauit, & plantauit, quæ ab Apostolis ad [illegible]que

tempora Romæ inuiolata conseruata fuerat. Ecclesia namque est instar fluminis, quod eodem alueo fluentem aquam continet & dimittit. Ita cætus Christianorum eadem doctrina ab Apostolis ad nos deriuatur. Alteram, quæ est ministerij, duobus modis accipio. 1. Vt sicut Hebræorũ Pontifices originem suam per carnalem generationem ad Aaronem deducebant, neque aliquis ad Sacerdotum dignitatem admittebatur, qui non esset de progenie Aaron: ita nostri Sacerdotes referre debeant ordinationem suam ad Apostolos. Nam singuli Sacerdotes ab Episcopis ordinantur, & hi ab aliis, donec ad aliquem Apostolorum venias. Si Episcoporum series requiris, inuenies præclara de iis ex Cathedralibus Ecclesiis Galliæ & Germaniæ, à Demochare collecta. *Secundò*, vt in in Sede prima, quæ est Petri, sit continua Episcoporum successio: qui fidei doctrinã, quam à maioribus acceperunt, incorruptam, & nulla in re mutatam, successoribus tradiderunt. Hic igitur tria vobis sunt probanda. 1. Fidem & doctrinam Caluini ab Apostolis, per Maiores nostros ad nos, sine interruptione decurrisse. 2. Ministros Caluinianæ sectæ suam ordinationem & missionem ad aliquem ex Apostolis, per successionem referre. 3. Quænam sit illa Sedes apud Caluinianos, quæ ab Apostolis ad nos vsque, cum eadem doctrina descen

ſcenderit. Nos enim affirmamus, vos vltra Caluinum altius progredi non poſſe. Cõſideret nunc lector, quam clarè & ſolidè iſta doceat noſter Hæreticus.

HÆRETICVS.

Cum iam ſæpius ab Orthodoxis demõſtratum ſit, vtramque ſucceſſionem nobis competere, iniquè facis quod Sectis nos aggregas.

COSTERVS.

Immò quia hactenus à nemine demonſtratum id eſt, ideò merito ab omnibus Orthodoxis Hæreticorum ſectis aggregamini.

HÆRETICVS.

Etenim doctrinæ puritatem ex ſanctorum Prophetarum & Apoſtolorum literis, grauiter, copioſéque noſtri probant: & in huius operis tui examine comprobabo.

COSTERVS.

Hic modò non quæritur, An ex Prophetarum & Apoſtolorum literis veſtram doctrinam comprobetis: ſed, quomodo doctrina iſta veſtra, quam vos Prophetarum & Apoſtolorum dicitis, his 1500. annis, per Maiorũ manus ad vos deuenerit. Agitur nũc de ſucceſſione doctrinę. Aduerſus ne vitiũ ratiocinationis tuæ? Deceptus

Apoſtolicam doctrinam, ergo illa per ſucceſſionem ad nos venit. Pueri noſtri dialectici ridebunt ſophiſma petitionis principij: Nos argumentamur doctrinam veſtram non eſſe Propheticam aut Apoſtolicam: quia nulla ſucceſſione ad vos allata eſt. Tu quod probandum erat, aſſumis vt certum: Eſt Apoſtolica, ergo per ſucceſſionem venit. Si de nobilitate tua quæſtio foret, & ego probarem te ignobilem, quia nullis progenitoribus nobilibus natus ſis: & tu contra aſſumeres: Ex nobilibus ego ſum, ego nobilibus parentibus natus; nõnẽ cenſendus eſſes ruſticus argutator?

HÆRETICVS.

Quare non ſolum inſignis calumnia eſt, quod ais, Lutherani auctorem ac parẽtem ſuum Martinum Lutherũ eſſe confirmant: ſed etiam falsè abs te conuincitur, cum ais: Iactant quidem omnes Chriſtum & Apoſtolos. Quomodo igitur auctorem ſuum Lutherum eſſe confirmant?

COSTERVS.

Vtrumque verum parentem ſuum agnoſcunt Lutherum. De quo Eraſmus Alberus affirmat, ſe eſſe certum, quod nihil de Deo ſciant, qui non ſtuduerũt in ſchola Lutheri: immò nihil ſe dubitare, quin Auguſtinus ſi ſupereſſet, non erubeſceret eſſe diſcipulus Lutheri. Hinc diſtichon Ecclii Lamberti Lutherani:

Lib. contra Carolſtadium.

Christus habet primas, habeas tibi Paule secundas.

At loca post illos proxima Luther habet.

En Luthero cedere debent Beatissima Virgo, S. Ioannes Baptista, D. Petrus, cæteríque Apostoli. Et quid mirum? cum de se Lutherus ipse scribat: *Qui me audit, sine dubio audit Christum: & qui me non audit, contemnit Christum. Quidam iactant Spiritum, at ego etiam fui in spiritu, & plus spiritu vidi, quam ipsi fortè toto anno sunt visuri: & meus spiritus se manifestauit, cum illorum spiritus iaceret adhuc in angulo:* Iactant ergo Christum & Apostolos: quia per Lutherũ verũ Christi & Apostolorum (vt fatentur) doctrinã acceperunt: qua totus mũdus ante Lutherum caruit. Nec dum audio qua via ab Apostolis ad Lutheranos, vel Caluinistas Euangelium venerit. Lib. de c gend. fcl.

HÆRETICVS.

Est sanè proprium Hæreticorum omniũ, segregare se, exire à nobis, discedere à fide. Hoc enim Apostoli tradiderunt: sed de vera Ecclesia & doctrina, non de vitiata, qualis est vestra.

COSTERVS.

Quid moraris? quid quæris ambages? cur non respondes ad id quod quæritur? Qua via ab Apostolis descenderit Euangelium? Doce successionem fidei ministeriique vestri: vt probes veram vestram Ecclesiam, sicut nos Catholici nostram successionem nunquam interruptam demonstramus.

HÆ.

HÆRETICVS.

Nam vt meretrix fidei poteſt ciuitas fidelis: ſic ab ea tum temporis diſcedendum eſſe, non ſolum ſacrarum literarum mandato, ſed etiam Apoſtolorum & Chriſti mandato demonſtratur.

COSTERVS.

Admitto: ſed quid ad rem? Vix capio quid velis. Fortaſsè repetis quod ſemper ſine ratione inculcatis: Eccleſiã Romanã aliquando fidelem ſinceręque fidei fuiſſe: ſed in meretricem poſtea degeneraſſe. Sed hîc quæro toties repetitam quæſtionem: Quo tempore, quo loco, quo auctore? Cur non reſpõdes candidè? Quia iugulus ſtringitur.

HÆRETICVS.

Verum, ne ſine ratione loqui videaris, argumentum adfers, vt tu quidem putas, adamãtinum & palmarium: vt verò Orthodoxi cenſent, planè vitreum ac fragile. *Quid*, inquis, *adeò certum eſt, vt nemo Hæreticorum vel vnum hominẽ potuerit hactenus producere, qui ante tẽpora ſui hæreſiarchæ, per omnia ſenſerit ac docuerit, ſicut ipſe ſentit & docet.*

COSTERVS.

Si fragile eſt frãgatur. Audiat lector, quo malleo illud comminuat. Sic enim pergit.

HÆRETICVS.

Sed producimus tibi Chriſti & Apoſtoloruin cõſenſum, omni exceptione maiorem: Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, (vt quit Cyprianus) non debemus attende-

re

re quid aliquis ante nos faciendum præ-
uerit. Neque enim hominis consuetudi-
nem sequi oportet, &c.

COSTERVS.

Admitto B. Cypriani verba: agnosco
etiam Christum & Apostolos omni excep-
tione maiores. Horum nihil in contro-
uersiam vertitur. Quæro qua successione
hæc Christi doctrina ad vos 15. sæculi
perlata fuerit? Necdum aduertis sophism.
petitionis principij? HÆRETICVS.

Deindè verò Ireneũ, Cyprianum, Ba-
lium, Augustinũ, cęterósque Orthodoxos
Patres, testes adducimus: quatenus cum
sacris literis consentiunt. Quã conditio-
nem ipsimet Patres præscribunt.

COSTERVS.

Splendidissimo pallio tegis nequissimas
fraudes tuas: Admittis Patres omnes qua-
tenus cum sacris literis cõsentiunt: Sicque
formari potest ratiocinatio: Nulli Patres,
quatenus cum sacris literis nõ consentiũt,
sunt recipiendi: Atqui in multis nõ cõsen-
tiunt cũ sacris literis: In multis igitur non
sũt recipiẽdi. Propositio certa est: ex ipso-
rum cõsensu, & Romanorũ Põtificũ decre-
tis. Assũptio patet: quia Missa Sanctorum
cultũ & veneratiõẽ, Christi corp' in Eu-
charistia, orationes & sacrificium pro de-
functis, & innumeras alias Pontificiorum
idololatrias & superstitiones, quæ cum sa-
cris literis pugnant omnes passim do-
cent: non sunt igituri in his recipiendi.
Syllogismus in Celarent, primæ [illegible]

Ergo

Ergo conclusio firma. Quid si eodē modo & figura sic argumenter: Nullus sanus caret vita: Omnis aër temperatus est sanus: Nullus igitur aër temperatus caret vita. Vtraque propositio vera est: constabit igitur sibi conclusio: Dices fortè, in hac mea ratiocinatione vitiū latere ex homonymia: essēque sophisma æquiuocationis, cōstans quatuor terminis, quod in omni syllogismo vitiosum est: quem iuxta dialecticas regulas, tribus solis constare oportet. Siquidem in propositione, *sanum* intelligitur animal, in quo est sanitas: in assumptione, quod ad sanitatem confert. Idem tuo paralogismo euenit: quo rudem & indoctam plebeculam, sophistarum more demētas. Homonymia est in voce, *sacris literis*: quæ in assumptione repetita mutat significationem. Nam cum in propositione dicis, Nulli Patres quatenus cum sacris literis non consentiunt, sunt recipiendi: verissimè dicis. Quicquid enim à sacris literis alienum est, detestamur vt falsum, mendax, & diabolicū dogma. At nomine sacrarum literarum, non sola verborum series accipienda est: sed genuinus eorum Intellectus, sicut ensis non est vagina sola & inanis, sed gladius in vagina. Dum porrò assumis: Atqui in multis non consentiunt cum sacris literis: varias significationem. Nam eo nomine intelligis, non scripturam cū vero, & hactenus ab vniuersa Ecclesia recepto intellectu: sed falsam &

hæ-

hæreticam interpretationẽ tuam. Quo in sensu admitto, in multis à Scriptura, id est, à vestris nouis somnijs, quæ nomine sacrarũ literarũ palliatis, veteres omnes dissentire. Atq; hic velim te duo obseruare: *Vnũ*, hunc ratiocinãdi modũ omnibus esse hæreticis cõmunẽ, atq; ad fallẽdũ rudẽ populũ accõmodatũ: tũ quod Christiano sit cõsentaneũ, ea reijcere, quę pugnãt cũ literis sacris: tũ quod indoctus populus nõ videat homonymiã, sed arbitretur scripturã ita claram & omnibus manifestã (prout falsò inculcare soletis) vt vnicũ sensũ admittat, nec possit in varios sensus detorqueri. Itaq; hęretici sẽper Scripturã clamant & Orthodoxos calũniãtur, tãquã literarũ sacrarũ corruptores, & valde ignaros. Et quia has literas quisq; ad suos errores trahit: fit vt innumeræ nascãtur hæreses, pro infectis tot impiorũ hominũ palatis. Hanc viã ingressus est Arius, ex Christi sentẽtia: *Pater maior me est*. Similiter Macedonius, Nestorius, Eutyches, cæteríq; olim dãnati hæretici: quisq; pro Dei verbo eũ Scripturæ sensũ venditãs, qui suo gustui sapiebat. *Alterũ*, quod annotari velim, est summa impietas, & dirum sacrilegium in Deum viuentem, cuius literas cogitis dicere, quæ diuinæ doctrinæ repugnant. Christus spõsę suæ Ecclesiæ scripturas, cum earum genuino intellectu, commisit: vos literas admittitis, & à Maioribus traditam sententiam, tanquam impiam abijcitis. Deus gladium spiritus cum vagi-

na tradidit: vos proiecto gladio, in vaginã gladium Caluini immittitis. Quanto ſatius foret, cũ Eccleſia vtrumq; recipere: ſacraſq; literas non ex cerebro veſtro, ſed ex cõmuni veterum cõſenſu interpretari? Ex his iam dictis manifeſtè cõſequitur veſtram Caluiniſticã religionẽ per prædictos Patres Ireneũ, Cyprianũ, Baſiliũ, Auguſtinũ, ad vos nõ peruenisſe. Illi Miſſas celebrarunt, venerati ſunt & inuocarũt Sãctos, Chriſti corpus in Euchariſtia adorarunt, nõ itaq; vobiſcũ per omnia conueniunt, ſed veſtro iudicio, nobiſcum fuerunt idololatræ, ſuperſtitioſi, in Chriſtũ iniurioſi, &c. Idem eſto de reliquis eorũ anteceſſoribus & poſteris omnibus iudicium. Audi Vincentium Lerinenſem: *Nos religionem non qua volumus ducere, ſed potius qua illa ducit, ſequi oportet, idque eſt proprium Chriſtianæ modeſtiæ & grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à Maioribus accepta ſeruare.*

admõnito.

HÆRETICVS.

Ad ſucceſſionẽ verò miniſterij Eccleſiaſtici quod attinet, Si quid apud vos rectè, id noſtri habent: ſi quid praui, id ad normam Apoſtolicam ex officio reformarunt.

COSTERVS.

Eadem prorſus, iiſdémque verbis loquuntur infeſtiſſimi hoſtes veſtri Lutherani & Anabaptiſtæ: eadẽ dixerunt veteres hæretici, qui pro ſuo quiſque iudicio Eccleſiaſtica miniſteria ad normam (vt arbitrabantur) Apoſtolicam reformarunt. Hinc

tot reformationes, seu deformationes, quot errores. Nondum aduertis te hæreticum: qui non, quod ab Ecclesia pro recto datur, catholica humilitate suscipis, sed quod oculis tuis rectum videtur eligis, & quod, vt minus rectum displicet: tanquam impiũ proijcis? Id, inquis, ex officio facimus. Et quis hoc vobis officium imposuit? Cuius authoritate, nobis tot sæculis ab Apostolis per sanctos doctissimosque Maiores tradita & inuiolabiter obseruata, vos variatis, mutatis, mutilatis, corrumpitis? Ecquis fecit vobis hanc potestatem? hæresis, superba voluntas, inuicta malitia. At hæreticus pergit in sua ratione.

HÆRETICVS.

Nam Ioannes Hussius, Hieronymus Pragensis, Lutherus, Zvvinglius, Œcolampadius, Bucerus, cæterique reformatæ Ecclesiæ Antesignani, aut doctores fuerunt apud vos, aut Ecclesiæ ministri: quibus in Ecclesia & schola sacras literas docendi, & errores refutandi munus fuit demandatum.

COSTERVS.

Cur non annumeras Arium Presbyterum Alexandrinum, Eutychen Abbatem, Patriarchas Constantinopolitanos Macedonium, Nestorium, Sergium, Dimophilum Anthimum: item Alexandrinum Dioscorum: Antiochenos, Seuerum, Vitalem, Paulum Samosatenum, Petrum Gnaphæum, Barbum, aliósq; priuatarum Ecclesiarum Episcopos Valentem Vrcirinum, Pri-

ſcillianũ, Photinũ, Theodorũ Mopſueſtenſem, Auxentiũ Mediolanensẽ, Euſebiũ Nicomediensẽ, Berillũ Boſtrẽsẽ, & quã plurimos alios, quibus in Eccleſia & ſchola ſacras literas docẽdi, & errores refutãdi lõgè maior poteſtas fuit demãdata? Neſcis munus docendi Eccleſiã cõmitti, nõ vt pro arbitratu tradatur noua, ſed vt vetus doctrina retineatur? & qui noua cõminiſcũtur, ab integritate Eccleſiaſtici corporis per chiſma excidere? Itaq; ſicut Epiſcopi iã à me recitati, munus ſuũ peruerterunt, atq; ex nobis ad hæreſes ſuas exierunt: ita, quos tu nominas reformatæ Eccleſiæ anteſignanos, defecerunt ab officio, ab ordine, à fide, impij apoſtatæ, & ſtatus Eccleſiaſtici atq; Monaſtici deſertores. Cæterum miror ſtultitiam tuam, quod hos tuæ Eccleſiæ anteſignanos appellas, qui tuos Caluiniſtas cane & angue peius oderunt, atque vt orbis peſtes fugiunt & fugant.

HÆRETICVS.

Eccleſiam ſemper extitiſſe, non modò ex ſactis literis, ſed experientia quoque edocti ſumus vt catalogus teſtium veritatis & hiſtoriæ demonſtrant.

COSTERVS.

Nulla fuit ergo Eccleſia Caluiniſtica. Quia totis his poſtremis mille annis, nulla fuit in vniuerſo orbe Prouincia, ciuitas, oppidum, pagus, vel cœtus, quæ doctrinã veſtrã teneret, & profiteretur? Nomino mille poſt ſemos annos: non quòd antea aliquis exti-

extiterit: sed quod viciniora, tempora notiora sint, & ad probandum faciliora. Cæterum hæreticus successionem nostram aliquot telis subuertere conatur.

HÆRETICVS.

Quis ante Bonifacium octauum, docuit subesse Pontifici omnem humanam creaturam, esse de necessitate salutis?

COSTERVS.

Christus Saluator noster: qui omnẽ humanã creaturã B. Petro subiecit, cũ ei vniuersũ gregẽ suũ pascendũ cõmisit. Itaq; nõ solũ is ab æterna salute excludetur, qui hãc pastoralẽ curã Petro datã esse nõ credit: sed is etiã, qui ab eius cura se subducit. Christus enim, qui sui ouilis regimen imposuit D. Petro, pro suis ouibus eas non agnoscit, quæ extra illud vnicum ouile vagantur. Tu ergo, hæretice, vide quo pastore dirigaris, postquã ab ouili B. Petri abberrans, à Christo non admitteris. Lupus rapax & Leo rugiens te abripiet: qui tuos Symmistas omnes in Caluinistica tua secta defunctos, in abyssum inferni demersit. Hoc audacter affirmo: qa firmissimè credo Apostoli verbis, hæreticos (quales vos estis) teste terrarum orbe, regnum Dei consequi non posse. Ioan. 21. Galat. 5.

HÆRETICVS.

Quis ex tota veteri Ecclesia vnquam asseruit, Imagines Christi eodem cultu cũ Christo adorandas? vt cum sanctis vestris Doctoribus, Thoma Aquinate, & Bonauẽtura Cardinali docetis?

COSTERVS.

Nota duplex ſophiſma, & dialectici argutationis vitiũ. Vnum, ex opinione ad fidẽ: per fallaciã figuræ dictionis. Alterũ ex inferiore particulari, ad ſuperius diſtributũ (Loquor ſcholarũ more, ſed homini qui putatur eruditus) per fallaciã cõſequentis. Eſto ſimile: Non deſunt, qui te dicunt viri tui violaſſe vxorẽ: Tota ergò id Caluiniſtica Synagoga indubitatò credit & affirmat. Ita tu hîc: Thomas & Bonauẽtura docent, eodẽ cultu cũ Chriſto imagines eius adorandas: (hoc enim opinantur, non fide, ſed libera opinatione) Ergo vos eadẽ, vt credẽda docetis. Imagines colẽdas, nemo Chriſtianorũ dubitat: de ſolo colendi modo eſt quæſtio. Alij volunt nõ tam imaginem coli, quam prototypum in imagine: alij etiam imagini cultum tribuunt propter prototypum, ſed longè minorem, ſicut Euangeliorum libro defertur propter Chriſtum, cuius verba continet.

HÆRETICVS.

Quis veterum, lanceam, crucem ligneã, ſpem ſalutis vocauit, & inuocauit?

COSTERVS.

S. Andreas Apoſt ſic crucẽ ſibi paratã allo-
In eius mart. quebatur (vt teſtãtur Præſbyteri & Diaconi Acharię occulati teſtes:) *O bona crux, q̃ decor ex mẽbris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquãdiu cupiẽti animo præparata? accipe me ab hominibus & redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui me redemit.* Antiquior illo Sybil-

ita ante Christi aduentum cecinit. Lib.6. ex Sybill.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit:
Nec terra caput: Sed Cæli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

Lactantius Constantini tẽpore sic scripsit:

Flecte genu, lignumq; Crucis venerabile adora. Carm. de Cruce.

B. Paulin⁹ Episcop⁹ Nolanus refert, Hierosolymis quotãnis, cũ Pascha Domini agitur, ab Episcopo depromi ex basilica Crucẽ Domini & populo proponi adorandã. *Ea est. n.* (inquit S. Ephrẽ diaconus) *victrix mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, profligatrix hæreseõ, dæmonũ expultrix, monachorũ adminiculũ, fundamẽtũ fidei, magna salutarisq; custodia, & gloria perpetua Orthodoxorũ in æternum.* Epist. 11. ad Seuerum. Li. de pœn.

Rabanus Maurus sic ait: *Ipsa die Parasceues à Põtifice & à Clero, & ab omni populo species Crucis salutatur: quia passio redẽptoris à fidelib⁹ in hora redẽptionis suæ digna laude veneratur?* Mirarisnos alloqui lignũ? Mirare Moysẽ alloquẽ tẽ Cęlũ & terrã, & Dauidẽ cũ trib⁹ Danielis socijs, prouocãtẽ oẽs creaturas ad laudẽ Dei: Li. 1. de inst. cleri. c. 37.

Audiãt Cæli quæ loquar: audiat terra verba oris mei: Laudate Deũ sol & luna: Benedicite imber & ros Domino. Deut. 32. Psalm. 148. Daniel. 3.

Cur has prosopopœias admittis: & eas carpis orationes, quas Christo fundimus ad instrumenta passionis suæ?

HÆRETICVS.

Quis veterum campanas, cereos, cineres, aquam, ramos, more vestro tanquam salutis organa consecrauit?

COSTERVS.

Superius ex Dionys. Clemẽte Alexãdrino, & Basilio, docui creaturarũ be[illegible]

nes Apostolicam esse traditionem. Tu doce, si potes & audes, quis primus creaturas benedixit. Minaris porrò te probaturum, Romanæ Ecclesiæ cũ orthodoxis patribus inter nos dissensionem: aliáque adiungis de corrupta doctrina & successione. Expectabo tela tua, quę vt reliquę nugæ tuę velut fumus, Dei gratia euanescent.

CIRCA CAPVT VIII.

HÆRETICVS.

ROmanorũ Pontificũ superbia à nemine vult iudicari, sed omnes iudicare.

COSTERVS.

Quando anno Domini 302. Marcellinus Papa conuictus oblati thuris idolo & se iudicãdũ stetisset Suessionẽsi Cõcilio 180 Episcoporũ, clamauerũt vna voce omnes: *Tuo te ore, nõ nostro iudicio iudica. Nã prima Sedes à nemine iudicatur.* Si Rom. Põtifex omniũ est Pastor, & cæteri eius oues, vt Christus docet: facilè intelligis, an oues à Pastore, an Pastor ab ouibus iudicari debeat? Quis subditorum iudicat Regem? Cur ille in regno suo sine Iudice, & non Pontifex in ouili suo Christus Ecclesia?

HÆRETICVS.

Chrysostomus ex B. Paulo aliter docet: Nempè potestatibus sęcularibus obediendũ esse à Monachis & Sacerdotibus, &c. 3. Quid hic tu, excusationis prætendis?

COSTE

COSTERVS.

Iam superiùs indicaui, Cleri in rebus politicis exemptionem non diuino iure introductam, sed Imperatorum legibus, & liberalitate donatam: qua largitione cur non liceat nobis nostro iure frui?

HÆRETICVS.

Si non est quisquam inter Sanctos Ecclesiæ Patres, qui non, vt doctrina ita singulari aliqua virtute antecellere & prælucere conatus sit: necessariò sequitur, Pontifices, Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Iesuitas vestros nihil cum illis habere cõmune, quum à multo tempore vix quisquam inter eos sit, quin doctrinæ & vitæ turpitudine reliquos superare contẽderit.

COSTERVS.

Agnosco impotentem vomitum hæretici. Ego aliter longè arbitror. Nec puto ab annis octingentis sæculum fuisse doctius. In vitia Cleri blateras: quæ auditione, non visu nosti. Reliquos vt non attingam, quos colo & veneror: de Iesuitis si quid habes solidi, producito. Magnam enim apud nos inibis gratiam: qui sordes nostras (si quas monstraueris) vobis ad reliquam colluuiem Apostatarum effundemus. Vt qui totis viribus adlaboramus, vt Societas nostra sit piorum, doctorúmque virorum contubernium. Si potes, doce contrarium. Vincentius Lerinensis ita scripsit: Mos iste semper in Ecclesia vi-

Cap. 9. Com. monitorij.

guit, vt quo quisque floreret religiosior, eo promptius nouellis adinuentionibus contrairet. Itaque aculeos religiosorum virorum metuis, quos, pro hæretico more, conuitiis lacessis.

HÆRETICVS.

Cum in dirimendis religionis controuersiis, duplex sit authoritas: Primaria, quę Summo Iudici, & Secundaria, quæ Iudici & testi conuenit: Priorem Deo in sacris literis loquenti: alteram Orthodoxis Patribus distinctè & sanctè concedimus.

COSTERVS.

Et quid, si de vero sensu Scripturæ controuersia nascatur, quem hic habebis Iudicem? Lutherus, *Hoc est corpus meum*, interpretatur hic panis est corpus meum: Zvinglius, hoc significat corpus meum: Alij, est signum corporis mei: Alij, hic panis est corpus meum, id est, creatura corporea à me creata: Catholici demùm, hoc, quod manu teneo, est corpus meum. In hac varietate expositionum, cui credemus? quis erit Iudex? An frustra Christus iturus ad passionem, Ecclesiæ suæ promisit Spiritum sanctum: qui in ea futurus esset, eámque de omni veritate instructurus, & cum ea mansurus in æternum?

Ioan. 14.

HÆRETICVS.

Augustinus soli Scripturæ tribuit, quod errare non possit: cæteri autem Scriptores possint.

COSTERVS.

1. Tim. 3. [illegible] asscribit B. Paul. Ecclesiæ: quam assir-

affirmat columnam & firmamentum veritatis. Similiter Christus: cum promittit aduersus eam portas inferorum non præualituras: & quando nobis præcipit, omnem ei præstare obedientiam. Fateor singulos doctores priuatis opinionibus errare posse: at de Ecclesia id nullus Catholicus vnquam concesserit. Hoc impudenter affirmare, solorum hæreticorum est. Matth. 16.

HÆRETICVS.

Augustinus cum Maximino Ariano agens, solis dicit vtendum scripturis. Nec ego, ait, Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium.

COSTERVS.

Nec mirum: quia cum hæretico erat ei negotium. Qui, sicut vos Tridentinum Concilium nihili ducitis: ita ille impugnabat Concilium Nicænum: à quo necdum centum annis aberat. Ex his ergo cum Ariano disputat, quæ pro Dei verbo recipiebat: Sicut Christus cum Saducæis ex libris Moysis: quos solos agnoscebant.

HÆRETICVS.

Vos scripturæ authoritatem detrahitis, eámque vobis subiicitis & torquetis.

COSTERVS.

Qui vos? Priuatus ne quispiam, an Ecclesia Catholica, iam 1500. an. per orbē vniuersum diffusa? Nota sūt Augustini verba, *Scripturæ non crederē, nisi me Ecclesiæ commoueret authoritas.* hæc est antiquior: Ab eius

membris, Apostolis & Euangelistis, scriptæ sunt Sacræ literæ. Ante has literas in mẽbrana scriptas, erat Dei verbum, digito Dei per fidem scriptum in corde Ecclesiæ. Itaque nihil detrahimus Scripturis, quando totius Ecclesiæ authoritatem magni facimus. Et quæso, dic mihi, vnde nosti hanc esse diuinam Scripturam: nisi ab Ecclesia: quæ tibi hos codices pro Dei verbo tradidit? At inquis, eam torquetis. Quid si id in vos Caluinistas regeram? Christus dixit, *Hoc est corpus meum.* quid clarius? Vos ea verba ad nescio quæ signa detorquetis: vt corpus non sit corpus, sed efficax signum corporis Christi. Christus apertè vobis dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: vos ita detorquetis hæc manifesta verba, vt Baptismi necessitatem negetis. Christus disertis verbis commendauit oues Petro, dicens, *Pasce oues meas*: vos eius verba inuoluitis, & prauo intellectu peruertitis. At hæreticus tribus exẽplis ex Bonifacij epistola nostras detorsiones demonstrat.

Ioan. 3.

Ioan. 21.

HÆRETICVS.

Bonifacius 8. quæ Deus Ieremiæ de ministerij ipsius officio, quo Gentium & regnorum euersiones constanter erat prædicaturus, pronunciauit, ea ad summam Papæ in omnes Reges & Imperatores detorsit. Similiter verba Petri, *Ecce duo gladij hic*, ad duplicem Ecclesiæ gladium, spiritalem

Ier. 1.

Luc. 22.

ritalem & materialem. Denique *spiritualis homo omnia dijudicat, & ipse à nemine iudicatur.* 1. Cor. 2.

COSTERVS.

Ignoras quid interſit inter detorſionem & applicationem. Detorquet, qui literalem ſenſum à vero ad ſuum trahit: quod hæreticis omnibus ſemper commune fuit. Applicat, qui genuinum ſenſum nec ignorans, neque negans, verba ſcripturę ſuo inſtituto accommodat. Sicut Euangeliſta Matthæus, quod de filiis Iſrael ſcriptum erat. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, ad Chriſti reditum de Ægypto tranſtulit. Oſee 11. Matth. 2.

HÆRETICVS.

Duplex in tuo ſermone apparet error: Iudicij nimirum, & profeſſionis. Iudicij quidem, quod Patrum placita canonicis æterni patris honore exæquas.

COSTERVS.

Erras toto Cælo. Iam enim dixi, neminem fuiſſe Patrem, qui non aliquid erroris ſuis ſcriptis potuerit admiſcere: in Scripturam autem ſacram nullum errorem irrepere poſſe. Hoc porrò addo, doctrinam Eccleſiæ, quæ ſemper, quæ vbique, quæ ab omnibus retenta, prædicata & obſeruata fuit: Catholicam eſſe: neque ei minus credendum, quam ſcripto verbo Dei. Non enim aliter quatuor Euangelia, Paulinas, aliorúmque Apoſtolorum epiſtolas, aliáſque Noui teſtamenti ſcripturas, pro verbo Dei veneramur: quàm quod *vbique*, ab

omnibus semper tales habitæ fuerint, & nobis lõga successionis serie traditæ. Vnde nihil nos impugnat B. Augustinus de Cypriano cum Donatistis agens. Ecclesiam non facit vnus: sed omnes, semper, vbique. Itaq; verò ante mille annos, Vincentius Lerinensis: *Sequamur* 1. *vniuersitatem, confitentes eam fidem, quam tota per orbem confitetur Ecclesia.* 2. *antiquitatem, ab his sensibus nullatenus recedentes, quos sanctos Maiores: ac Patres nostros celebrasse manifestum est.* 3. *consensionem, sectantes in ipsa vetustate omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiásque.*

3. Comitorij.

HÆRETICVS.

Ex Hierosolymitano Apostolorũ Concilio, malè concludis, omnium Conciliorum eandem esse authoritatem. Nam 1. illic interfuerunt Apostolici viri, singularibus Spiritus sancti donis instructi. 2. Præfuerunt Apostoli, qui perpetuò à Spiritu sancto afflati, ab erroris periculo in doctrina fuerunt alieni. 3. Hoc Concilium non fuit vniuersale.

COSTERVS.

Dico 1. Christum non sanctitati hominum alligasse mysteriorum suorum virtutem, sed Ordini & Officio addixisse. Cayphas impius, sed quia Pontifex, prophetauit. Non enim à semetipso locutus est, sed motus à Spiritu sancto: qui impiã linguã, ne falsa diceret, moderabatur. 2. Nostris Conciliis præsunt Episcopi, Apostolorum succ[illegible]es: quibus si non singulis, attamen simul

Ioan. 11.

simul omnibus, Spiritus sancti præsentiam Christus promisit: *Spiritus sanctus*, ait, *in vobis erit & manebit*: &, *Ego vobiscum sum omnibus diebus*. Hinc factum est, vt ne vnum ex 18. Conciliis generalibus, tum Græcis, tum Latinis, errorem vllum vel docuerit, vel decreuerit: nisi hæreticis, *qui malum dicunt bonum, & bonum malum: tenebras lucem, & lucem tenebras*. 5. Hoc Hierosolymitanũ Concilium, non particulare fuisse, sed generale. *Conuenerunt Apostoli*, (ait S. Lucas) *& Seniores*. Apostoli, inquam, non duo aut pauci: sed (teste Clemente) Apostoli omnes: quos ait à definitione primariæ quæstionis, simul de his quæ ad Ecclesiæ vtilitatem pertinet, constituisse. Hinc Symbolum Apostolicum habemus, & Canones, constitutionésque Apostolorum. Seniorum nomine, intelligimus Episcopos & Presbyteros: quorum viuendi rationem Apostolus Paulus præscribit discipulis suis Timotheo & Tito: vt B. Gregorius Nazianzen. affirmat. Huic Concilio præfuit Apostolorum Princeps, B. Apostolus Petrus, primúsque sententiam dixit, & definiuit. Quid ergo huic Concilio ad Generale defuit?

Ioan. 14. Matth. 2

Isai. 5.

Actor. 15. Lib. 6. con Apostolic cap. 12.

1. Timoth. Tit. 1. Oratione

HÆRETICVS.

Malè citas Sapientem, *ne transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri*: quia non de fidei finibus, sed de agrorum terminis loquitur.

Prou. 22.

COSTERVS.

Beatus Gregorius in hæc verba [illegible] nos

24. 16. l. ca. 21. *terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos, sic scripsit: Quos aliorum nomine, nisi hæreticos designat? qui à S. Ecclesiæ gremio alieni existunt. Ipsi enim terminos transferunt: quia constitutiones Patrum præuaricando transcendunt. De quibus nimirum constitutionibus* Prou. 22. *scriptum est: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui, qui greges diripiunt & pascunt: quia imperitos quosque peruersi ad se persuasionibus trahunt, & doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt.* Non ergò malè vel citaui; vel vobis hæreticis accommodaui.

HÆRETICVS.

Sed esto, valeat allegorica ista interpretatio: intelligentur termini non quiuis, sed secundùm Dei verbum præfixi.

COSTERVS.

Nullos terminos excipit bonorum Patrum, alioqui boni non fuissent. Hic planè fateris, à te, tuísque Symmistis transponi terminos Sanctissimorum Patrum maiorum nostrorum: qui nobis Euangelicam doctrinam per manus tradiderũt. Sed malè (inquis) fixi fuerunt, & non secundùm Matth. 10. Dei verbum. Et vnde id nosti? cum ipsi contrariũ affirment: & ex puro verbo Dei, errores vestros impietatis damnent. Ne sit discipulus super Magistrum: sufficiat discipulo, vt sit sicut Magister eius. Sed vos cauteriati Caluini discipuli, vultis esse: &, pro ipsius placitis, Iudices & Magistri maiorum omnium, sanctissimorum Doctorum [illegible]olicorum virorum.

HÆRE

HÆRETICVS.

Attendendū ad illud Dei oraculum: *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere: Ego sum Iehoua Deus tuus, in præceptis meis ambulabis.* Et: *Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Fruſtra me colūt docētes doctrinas & mādata hominū.*

COSTERVS.

Aduertisne ſophiſticum elenchum: quem Dialectici vocant, fallaciam conſequentis? In præceptis malorum Patrum non eſt incedendum: Ergo patrum omniū, etiam bonorum, termini tranferri poſſunt. Si quis dicat, Nonnullæ Leydenſes vxores adulteræ ſunt: conſequeturne, omnes paſſim tales eſſe? Hic tamen locus ſophiſticus, vobis perquam familiaris eſt. Quidam Pontifices, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi malè vixerunt: ergo fugiendi ſunt omnes & fugandi. Quidam continere noluerunt, ergo nemo continere poteſt. *Quid aliud captant*, ait D. Auguſtinus de veſtri ſimilibus *niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit: omnes tales eſſe credant, iactent, contendant: ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi cum aliqua maritata inuenitur adulterata, nec proiciunt vxores ſuas, nec accuſant Matres ſuas: cum autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit: inſtant, ſatagūt, ambiūt, vt de omnibus hoc credatur.* Ezechiel monet impios patres nō imitari. Et Chriſtus in Pha-

Epiſt. 137.

c. 7. risęos agit: quoniã deuteroses suas inutiles, & mãdatorũ Dei corruptelas, neglecto Dei mandato & præcepto, firmas esse volebant. Cuiusmodi erant varię manuum, & domesticæ supellectilis lotiones, & quę de *Corban*, id est de munere, ad parentum honorem & educationem declinandam, oblato, impiè statuerant. Hæc tu hæretice ad eas doctrinas detorques, quas sanctissimi Patres ab Apostolis acceptas, 1500. annis ad nos transmiserunt: & piè fideliterque nobis tradiderunt. Quas, quia *traditiones Apostolicas* nominamus: vos, pro insciția vestra, retinetis nomen *traditionis*, &, pro nequitia vestra nomen Apostolicas, in humanas commutatis. Traditiones istas Apostolicas fateor humanas esse: quia Apostoli fuerunt homines: sed agnosco esse diuinas: quia partim à Christo cũ illis, seu ante mortem, seu post resurrectionem agente, verbo traditæ: partim à Spiritu sancto post eius Ascensionem dictatæ.

CIRCA CAP. X.

HÆRETICVS.

QVòd de loquendi modo hæreticorum obiicis, *Sic se sentire, sic docere, sic sibi videri*: nõ laboramus. Nostri enim in ore habent: *Sic sacræ literæ docent, sic Prophetæ, sic Apostoli tradunt.*

COST

COSTERVS.

At si vlterius pergam, & quæram: Cur potius hoc dicat Scriptura, quàm id quod ex ea docent Catholici: nónne respondeteris, vobis vestrum sensum magis probari, quàm nostrum vel quemuis alium? Quæro, Cur, *hoc est corpus meum*, Caluini signum efficax intelligendum sit: & non, Panis Lutheri, vel verum corpus Christi? Hîc ad, videri, & ad hæreticam electionẽ necessariò confugitur. Hinc tot errores, quot arbitria & gustatus.

HÆRETICVS.

Ais quidem, vestros communem, vniuersalem, Catholicam habere religionem: verùm secus à nobis ante demonstratum est.

COSTERVS.

Vbinam? Nos credimus, quicquid iam 1500. annis per vniuersum orbem tenuit Ecclesia: cur ergo non sit Religio nostra, catholica? Vos: quòd ante Caluinum nulli, sub Caluino pauci.

HÆRETICVS.

Maiores vestri Concilio Tridentino vulgatæ versionis auctoritatem sanxerunt: tu verò contra (vt fieri debere censet Augustin. & decretum Pontificum confirmat) ex Græcis fontibus purgare studes. Distinct. 9. c. Veterum.

COSTERVS.

Absit, vt contra sacri Cõcilij Tridẽtini decreta veniã. Hoc cõtra Nouatores sciolos, qui pro libidine sua carpunt omnia, iuber

seruari veterem scripturæ interpretationẽ: quæ iam 1100. annos obtinuit. Neque aduersatur Hieronymus (cuius est Gratiani decretum) qui nouum Testamentum, ante vndecim sæcula, iussu Damasi Papæ, ex Græco in Latinum transtulit: & vetus ex Hebræo. Necdum vides sophisma tuum? Ante 1100. annos desiderarunt Patres Augustinus & Hieronymus, Latinam versionem ex Græco & Hebræo codice repurgari: ergo semper idipsum est nobis desiderandum. Fallacia est, ex dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Domus hæc ruinosa vult reparationem hodie: ergo volet post annum sequentem. Et quid, si interea adhibita sit reparatio? Olim sacræ literæ primis illis sæculis, quando iuxta D. Paulum, non multi sapientes, & linguarum periti ad Ecclesiam veniebant, recognitione egebant: at quando iam à S. Hieronymo, aliisque peritissimis viris recognitæ fuerunt, non est quòd sciolorum imperitorum dentibus amplius rodantur. Quæ enim versio tot sæculis à Catholicis trita fuit, non minus auctoritatis obtinuit in Ecclesia, quàm textus Græcus: & minori corruptioni obnoxia fuit, vtpotè à plutibus vsurpata: cum maior hominum Occidentalium pars Græcè ignoraret.

HÆRETICVS.

Cur ergo, quod (Actor. 3.) Petrus in Latino codice dixit. *Quasi nostra virtute, aut*

potestate

poteſtate fecerimus: loco *poteſtatis*, dicis Græcis eſſe, Religionem?

COSTERVS.

Non carpo interpretem: ſed quid noſtri Codices Græci dicant, aperio ad eius confirmationem, quod propoſui. Cur non liceat mihi varia lectione inſtitutum meum comprobare: ſicut multorum Doctorum expoſitione?

HÆRETICVS.

Petrus non opponit propriam δύναμιν & ἀνεξιθεαν. Maiorũ religioni, ſed Dei & Chriſti potentiæ & gratiæ: vt demonſtraret, non humanum, ſed diuinum eſſe, quod acciderat.

COSTERVS.

Parum moror, quomodò verba B. Apoſtoli accipias: dummodò de re ipſa conſtet. Non enim exiſtimo te diffiteri, Apoſtolos omnes communem Maiorum religionem & fidem tenuiſſe, & populis tradidiſſe: quæ erat Priſcis quidem Patribus de Chriſto venturo: nobis autem de Chriſto præſente, & Oeconomia ſalutis noſtræ perfecta. Mihi Caietani expoſitio magis probatur: quod Apoſtoli opinione nouitatis & hæreſeos apud Iudæos laborarent. Vnde B. Paulus à Tertullo dictus eſt auctor ſectæ ſeu hæreſis Nazarænorum: & Iudæi Romani, *de ſecta* (ſeu hæreſi) *hac, notũ eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.* Hanc opinionem vt amoliretur à ſe D. Petrus, *Nun* (ait) *propria virtute aut religione fecimus.*

Act. 24.
Act. 28.
2. Cor. 3.

Deus

Deus Abrahã, Deus Isaac & Deus Iacob, Deus Patrũ nostrorũ, glorificauit filiũ suũ Iesum. Vide (inquit hoc loco D. Chrysost.) *quomodo sub inde progenitores refert : ne videatur nouum quoddam dogma inducere.* Hunc loquendi modum imitantur Catholici omnes. Nõ, *Sic ego credo : sic mihi videtur:* sed, *hæc est fides Catholica, Credo, quod Ecclesia Catholica credit: Credo, quod hactenus 1500. annis per vniuersum Orbem creditum est: Submitto me in omnibus iudicio Ecclesiæ.* Si mentior: profer Catholicum, qui in negotits fidei aliter loquitur.

CIRCA CAPVT XI.

HOc capite docui, ex nouitate hæreticorum necessariò concludi, Maiorum nostrorum omnium damnationem æternam: qui eorum doctrinam adeò non tenuerunt, vt etiam impugnauerunt. Quia sine fide impossibile est placere Deo. Ad hæc quid ipse?

HÆRETICVS.

Negamus vestram doctrinam esse antiquam illam Apostolorum, & Orthodoxorum Patrum.

COSTERVS.

Doce ergo quis, vbi, & quando eam corruperit?

HÆRETICVS.

Nouitatem, quam nobis affingis, non agnoscimus.

COSTE

COSTERVS.

Ede ergo nomen prouinciæ, ciuitatis, oppidi, vbi nascente Luthero, aut Caluino tradita fuerit?

HÆRETICVS.

Agnoscimus vnam esse fidem, si fundamentum cõsideres: sed circumstantiarum tamen ratione, certi cognitionis & fidei sunt gradus. Itaque qui fundamentum fidei euertunt, illos verbum Dei à salute excludit: qui verò aliter in reliquis, infirmitate quadam humana sentiunt, eos minimè damnandos, cum sacris literis censemus.

COSTERVS.

Apostolus proponit nobis fundamentum Christum Iesum. Vis ergo neminem in Hæreticorum & infideliũ numero censeri, qui hoc fundamentum non euertit, quicquid de cæteris rebus credat? Cur ergo olim Nouatiani, Donatistæ, Pelagiani, Iouiniani, Heluidiani, & pleriq; alij, hęreseos dãnati fuerunt, qui hoc fundamẽtum, quod CHRISTVS est, firmum retinuerunt? Quid porrò sibi vult: Infirmitate humana aliter sentire? Fortè ignorantia laborare. At infirmitas ab ignorantia differt: hac peccauit Paulus, illa Petrus. Et quis dicat doctissimos, cõstantissimósque Patres, Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Epiphanium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, cùm sui temporis hære-

1. Cor. 3.

1. Timoth.

Hæreticos impugnarent, altero horum laboraſſe?

HÆRETICVS.

Quamuis omnes aduerſus veram religionem errores damnationem, vt reliqua peccata, mereãtur: non omnes tamen exitium adducunt: ſed plurimi, ſi fundamentum piè retineatur, à Deo gratioſè condonantur.

COSTERVS.

Quicquid damnationem adducit, meretur exitium: Cũ damnari, nihil ſit aliud quam inferni pœnis adiudicari. Sanè, qui à iuſto Iudice ſententiam mortis accepit, nihil præter ſententiæ executionem expectat. Age, quî fieri poteſt, vt doctiſſimi Patres, qui fundamentum Chriſtum retinuerunt, & nihilominùs Miſſæ ſacrificium celebrauerunt, panem Euchariſtiæ adorauerunt, Sanctos mortuos inuocauerunt, reliquias eorum coluerunt, & imagines venerati ſunt: quæ (ſi vera eſt veſtra doctrina) in ſumma Idololatria ponenda erũt, exitiũ euadere potuerũt? Nulla ignorãtia, aut infirmitate peccauerũt: qui hæreſeos damnarunt aliter docentes. Addis de erroribus Cypriani, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Hilarij: quos, quia in libellum de Eccleſia differre ſtatuis, etiam nos ibi Dei gratia reſpondebimus.

HÆRETICVS.

Quamuis Romani Pontificis tyrannide depreſſa

depressa fuit Ecclesiæ libertas, nunquam tamen ita oppressa, quin semper durarit, & liberam vocem subinde ediderit, ad Dei gloriam & Babylonis ruinam.

COSTERVS.

Quis Pōtifex eam primus depressit? quis Romæ religionē primus variauit? quis Romanum populum recedere à sui predecessoris fide docuit?

HÆRETICVS.

Hinc illę Romanæ Ecclesiæ lachrymæ: & in cætum piorum (quem odiosè Vvaldēsium, Vviclephistarum, Hussitarum, & similium nominibus infamē reddere studuit) crudelitas subsecuta est.

COSTERVS.

Profligatos, & ab vniuersa Ecclesia damnatos hæreticos, cætum piorum appellas? Cur non adiungis his Simonem Magum, qui B. Petro Apostolorum Principi, atq; in ordine Romanorū Pōtificum primo, causā mortis dedit? Cur non Nouatū, qui S. Cornelium insectatus est: & Arianos, qui Sāctos pontifices Felicem, Martinum & Ioannem martyrio affecerūt? Cur non Eutychianos: qui B. Siluerium morte mulctarunt? Hæreticorū omnium proprium est Romanis Pōtificibus obloqui: sicut reis, suos Iudices odisse. Non mouemini Pontificū tyrannide, quam

quam Principes non metuunt: sed incorrupto eorum iudicio de rebus fidei, quo hæreses omnes hactenus non solùm depresserunt, & oppresserunt, sed Dei gratia, ex Christi promissione deleuerunt, extinxerunt, & extirparunt.

HÆRETICVS.

Christus in Pharisæis damnauit errorem vestrum de traditionibus humanis.

COSTERVS.

Et quomodo potuit: cum necdũ vllæ essent, nisi Iudaicę deuteroses? damnauit igitur superstitiones inutiles humanas, non traditiones Apostolicas: ab ipso Apostolis, & per hos successoribus eorum, nobisque ad finem vsque sæculi commendatas.

HÆRETICVS.

Apostoli damnauerunt errorẽ de Angelorum cultu, similiter Conciliorum Laodicenum, Chrysostomus, Theodoretus, Epiphanius, Augustinus: & hi inuocationem & cultum Mariæ, in Collyridianis.

COSTERVS.

Vide quid in Enchiridio, titulo de veneratione Sanctorum, ad 4. obiectionem, responderim: & quid superius de Collyridianis dixerim. Sed hæretica cæcitas non patitur vos veritatem, toties inculcatam, videre & malitia, assentiri. Eadem semper repetitis, quasi ante nihil dictum esset. Rectè dixit Propheta: *Impij in circuitu ambulant.* Gnostici in Angelorum cultu errabant: quos suæ salutis arbitrabantur auctores.

Psal. 11.

HÆRE

HÆRETICVS.

Patres prędicti damnauerunt imaginum cultum in Gnoſticis, & Carpocratianis.

COSTERVS.

Hi Chriſti & Apoſtolorum imagines colebant ſicut Gentiles idola: eáſq; eodem loco, quo Homeri, Pythagoræ, Platonis & Ariſtotelis habebant. Nos Prototypon in imagine ſua veneramur.

HÆRETICVS.

Doctrinã liberi arbitrij, & operum meriti damnarunt in Phariſæis & Pelagianis.

COSTERVS.

Vtrique Chriſti gratiam excludebant: & viribus ſuis nitebantur.

HÆRETICVS.

Heracleonitæ extremam vnctionem vſurparunt.

COSTERVS.

Non vtebantur Catholicorum extrema vnctione, quam B. Innocẽtius ijſdem temporibus ſacramentum nominat. *Pœnitentibus*, inquit, *iſtud infundi non poteſt: quia genus eſt ſacramẽti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?* Cur non potius adfers *B. Iacobi* Epiſt. 1. ad. Decẽtiũ. c. 8

Ian

Iacob.5. mandatum: qui nobis ritum extremæ vnctionis de Christi voluntate præscripsit? *Infirmatur, ait, quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ & orēt super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmū & alleuiabit eū Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* En præceptum, signum externū, & promissionem triplicem: 1. Salus infirmi, non tam corporis (nisi quantum animę cōducit) quàm ipsius animæ per infusam gratiam. 2. Alleuiatio & internum auxilium, ad molestias morbi & diabolicarum tentationum leuius ferendas. 3. Remissio peccatorum: si quæ nondum dimissa essent. Hæreticorum superstitiones nō agnoscimus. Sicut enim non quæuis lotio est baptismus: ita nec quæuis vnctio est confirmatio, vel extremæ vnctionis Sacramentum.

HÆRETICVS.

Cæterū, quod ais: *Qui in Eucharistia nihil præter panē esse concedunt, cogūtur dicere orbem vniuersum pro Deo suo frustum panis coluisse*, In his pauois verbis, non pauci errores. Nam quis adeò à sacris alienus, quin in Eucharistia præter panem, verbum & institutionē diuinam agnoscat, qua accedente fiat sacramentum.

COSTERVS.

Hoc Sacramentū vestrum quid est aliud, quam merus panis? Nam sicut aqua baptismi ante, & post collatum baptisma, non est nisi aqua mera, quam si effundas, aut canibus vel equis potandam præbeas, nullum commi-

cõmiseris sacrilegiũ. Siquidem aqua, in quã descẽderũt Philippus & Eunuchus, iste baptizãdus, ille baptizaturus, perinde sine Sacramenti iniuria, post baptismũ à bestijs pota, calcata, & excrementis defædata fuit, atq; prius fuerat: Ita panis vester ante esũ, dũ eum minister manu tenet, merus est panis, & quod à cõmunione vestra supereſt, nõ minus dari potest canibus, quam vestris cõmunicantibus. Et quid, si eum quispiam post cõmunionem euomat, nonne hũc vomitum feles lambent, vestræque communionis efficientur participes. Actor. 8.

HÆRETICVS.

Ea scilicet est vestra sanctitas, vt Christi doctrina repudiata, non panem esse in Eucharistia, sed species tantum statuatis.

COSTERVS.

Veri repudiant doctrinã Christi nos, qui Eucharistiã agnoscimus, & appellam⁹ cum Christo, *Panẽ qui de cœlo descẽdit*, an vos, qui eum de pistrino & furno venire dicitis? Nos gaudemus pane cœlesti: vtamini vos vestro pane furnaceo. Irrides trãssubstantiationẽ. At quis eã primus inuenit? ede authoris nomẽ. Facilis est, sed indecens & stultus, sine ratione cachinnus: In tractatu de Eucharistia multis testimonijs docui, ante annos mille doctrinam hanc nostram per orbem viguisse vniuersum. Ioan. 6. Parag. de transsubstantione.

HÆRETICVS.

Grauis admodum in Christum contumelia est cum frustum panis cõsecrati pro vero Deo colitis, & insignis in homines iniuria, quod orbi vniuerso idololatriæ vestræ & errorum societatem asscribitis.

COSTERVS.

Et quia idem ante annos mille præstiterunt Sancti Patres, tum Græci, tum Latini, atque vt Eucharistiam adorarent populos sibi commissos docuerunt: (Sicut tractatu de Eucharistia à me in Enchiridio demõstratum est) manifestè efficitur, illorum neminem Caluini dogma tenuisse, sed vos insigniter in Deum contumelioſos fuisse. Ex quorum sanctissimo cultu id etiam cõsequitur non esse in hoc Sacramento bolũ panis, (vt tu contumeliosè blasphemas) sed verum & adorandum Christi corpus. Non in ore tantum, aut gutture, vel stomacho communicantis, sed in altari ipso, & in manibus sacerdotis.

a Parag. de oratione.

HÆRETICVS.

Non dubitamus, quin multa piorũ millia in ea (Ecclesia Romana) latuerint, qui genua sua Baali, nullo modo inclinarint.

COSTERVS.

Si Eucharistia nostra Baal: Ergo maiores nostri sacerdotes Baal, & cultores idoli. Detrusi ergo in infernum cum Philistæis, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, & quotquot vel ante, vel post eos, vel cum eis Eucharistiam adorauerunt. Per quos igitur

tam

tandem ad vos descendit doctrina vestra Caluinistica? Et vnde nosti multos pios sua genua non inclinasse, & Eucharistiam non adorasse?

HÆRETICVS.

Non solum id sentimus charitatis lege, quæ optimam de aliorum salute spem cõcipit: sed etiam ex plurimorum testium veritatis constantia habemus exploratum.

COSTERVS.

Duas huius imaginariq; tuq; opinionis, aut spei audio rationes. *Prior* est lex charitatis: quæ de aliorum salute spem concipit. Ad quam tria dicã. 1. Te hîc clarè fateri, adoratoribus Eucharistiæ nullam superesse spẽ salutis. Ideo enim existimas, omni tempore latuisse multos: quod alioquin nullã de illis conciperes spem salutis. Hinc fit, vt iam in gehennæ ignibus (tuo iudicio) torqueãtur non solùm prædicti Patres populorũ doctores, sed quotquot palam Eucharistiq; diuinum cultum exhibuerũt. 2. In hac ratione latere sophisma: Optima de aliorũ salute est spes concipienda: Ergo multi Eucharistiã non adorauerunt: vel, Ergo multi sectatores doctrinæ nostræ latuerunt. Hac ratione vti poterunt Lutherani, Anabaptistæ, Svvenckfeldiani, vt olim Ariani, Macedoniani, &c. *Optima de aliorum salute spes est concipienda: atqui sine doctrina & fide nostra nemo salutem assequitur, ergo multi re-*

ho-

onis

ligionis noſtræ cultores latuerint. Petis principium, & ſophiſmate ſeducis rudes: Aſſumis, quod probandum erat, Sine fide veſtra neminem ſaluari. Nos contra dicimus, Neminem de veſtra fide vnquam latuiſſe, atque ideo ex ea neminem ſaluatum eſſe. Si qui de veſtris latuerunt, non fuerunt pij, ſed impij, & legis tranſgreſſores. Siquidem conſtat omnibus, præſertim his poſtremis decem ſæculis, neminem in Chriſtianorum terris toleratum, qui non publicè catholicam fidem profiteretur: & quotannis, ſaltem in Paſchate, Euchariſtiæ catholico ritu particeps fieret, eamque proſtratus in genua, de catholici ſacerdotis manibus adorabundus acciperet. Nemo (inquit B. Auguſtinus) illam carnem manducat, niſi prius adorauerit. Si, veſtræ doctrinæ credens non adorandam adorauit, quomodo pius? Pſal. 98.

Altera ratio eſt ex teſtibus veſtræ veritatis. Sed ego nullos præter damnatos hæreticos, qui vobis teſtificentur, agnoſco. Fortè eos adduces, Tractatu de Euchariſtia: vbi eorum fidē diſcutiemus. Scio quondam impios Iconoclaſtas in ſuo Conciliabulo Conſtantinopolitano decreuiſſe, Nullam aliam eſſe Chriſti imaginem, quam in Euchariſtia. At Septima Synodus Nicæna, 350. Patrum, anno Domini 787. communibus omnium vocibus reclamauit, & antiquam Maiorum fidem retinendam docuit: in Euchariſtia non eſſe imaginem, &io. 6.

ginem, sed veritatem corporis Christi.

HÆRETICVS.

Expurgatorij indices vestri euincunt, quod eorum scripta ad veritatē obscurandam pro arbitrio truncatis & adulteratis.

COSTERVS.

Neque truncant, neque adulterant patres: sed hæreticorum corruptelas, & scholiorum errores erpurgant.

HÆRETICVS.

Hormisdæ verba sunt: *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare.* De re sic statuimus, Primam salutem esse fidei regulam: hoc est, doctrinam sacris literis (quę propterea canonicæ dicuntur) à Deo traditam custodire: & à constitutionibus Patrum, quatenus ei regulæ consentiunt, nullo modo declinare.

COSTERVS.

Nunquam fuit in dubium vocatum, an Patrum constitutiones aut scripta, quæ à regula sacrarum literarum dissentiunt, seruari, an reiici debeant. Quis nesciat, Scripturam esse limam, qua scripta omnium collimanda sunt: & Lydium lapidem, ad quem exploranda? Tota quæstio semper fuit Catholicis cum hæreticis, Quænam sit appellanda S. Scriptura: illéne intellectus, quem isti nouiter excogitarunt: an

ille, quem Catholici à maioribus longo multorum sæculorum tractu acceperunt? Et quia hæretici sibi verum Scripturę sensum arrogant, coniunxit prædictus canon fidei regulam, & Patrum constitutiones: vt intelligas, non solas & nudas admittendas literas sacras: sed Patrum quoque constitutiones, inter quas sunt interpretationes Catholicorum Doctorum. Cæterùm verba canonis neque sunt Hormisdę, vt tu putas: neque Felicis, sicut à Typographo erratum est: sed Ioannis Episcopi Constãtinopolitani, qui professionem fidei ad Papam Hormisdam sic exordiritur: *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis, Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiã meam. Et hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio: de qua, spe & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes hæreses.* Et paulò ante finem: *Sequentes in omnibus Apostolicam sedẽ, & prædicantes eius omnia cõstituta. Et per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quã Sedes Apostolica prædicat, esse merear: in qua est integra & vera Christianæ religionis, & perfecta soliditas. Promittens in sequenti tempore sequestratos à cõmunione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentiẽtes Sedi Apostolicæ, eorũ nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* Ex quibus, ne mille annos, de Romanæ Eccle-

siæ

siæ constantia in orthodoxa fide senserint Græci. Vbi non obiter transeatur istud, *Sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ*: quasi idē fuerit, etiam tunc sequestrari à Catholica Ecclesia, & non consentire Sedi Apostolicæ. Vos igitur hæretici procul à Catholica Ecclesia abestis, qui Sedem Apostolicam, vt sedem Antichristi, persequendam suscepistis.

HÆRETICVS.

In eandem sententiam Felix primus Pontifex ad sacrarum literarum fontes, contra Arianos prouocat.

COSTERVS.

At Felix primus, martyrio coronatus est anno Domini 275. sub Aureliano Imperatore: Arius hæresim suam auspicatur anno 315. sub Constantino: 40. annis post Felicis mortem. Fortè Paulum Samosatenum volebas dicere: qui sub Dionysio & Felice hæresim docuit. Sed quia ad hunc sanctū Felicem prouocas, audi & attende ad verba eius: *Hæresis est nimis impia, & Euangelicæ veritatis inimica: quæ nō portionem aliquam lædere, sed ipsa Christianæ religionis conatur fundamenta cōuellere: quoscunque enim rapit ad se, nō solum in hoc vitium, sed in multa alia ruere facit, & ipso suadēte antiquo hoste, nō solum persecutores Ecclesiæ, sed etiam sacerdotum eius fiant.* Epist. 1. ad tem. Episcopum.

Hæc vobis dicta putato. Addit Epistola secūda scripta in Concilio Romano 70. Episcoporū, ad omnes Galliæ Episcopos: *In præfata constituimus Synodo, vobisque & omnibus*

Ecclesiis tenẽdum & agendũ mandamus, vt super memorias Martyrum Missæ celebrentur. Ex Epiſcopũ ignaum. epistola quoque tertia, ex qua tua verba prompsisti, *Semper dubia & maiora negotia, terminum ab hac sancta Sede, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueuerunt. Et ideo tu rectè fecisti, quod huius sanctæ Sedis consultis te, cæterósque firmari & instrui voluisti.* Et post medium. *Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi, Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur: nec ab hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed, vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet: secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui suorum discipulorum Principi in suis fatus est Euangelijs:*

Luc. 22. *Petre, (inquiens) ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Paulo post. *Ecce Dominus fidem B. Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos*

ist. ad Epi- pos & Gal & Hispã. *admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exi-*

ist. ad Atha sanct. & cæte- Epiſcopos gypti. *guitatis prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* Eadem ante ipsum scripserat Lucius Papa anno Domini 256. & post eum Marcus Papa, anno 336. rescribens S. Athanasio, à quo his titulis salutatus fuerat: *Pater beatissime, Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papa. Sedes est mater & caput omnium Ecclesiarum.*

cleſiarum. Tu igitur hæretice, qui (vt ais) nihil aliud quam quod ab Apoſtolis & Euãgeliſtis traditum eſt, amplecteris: concede, ab Apoſtolis Miſſas ſuper memorias, hoc eſt, (vt ait Damaſus) ſuper ſepulchra martyrum iuſſas celebrari. Et agnoſce, Romanam matrem omnium Eccleſiarum promiſſione Chriſti in fide neque hactenus defeciſſe, neque ad finem vſque ſæculi defecturam eſſe: eámque deſertis hæreticis nouatoribus, demiſſo animo venerare.

CIRCA CAPVT XII.

De vocatione Miniſtrorum.

HÆRETICVS.

CElebris eſt de vocatione Paſtorum quæſtio: ſed ita à noſtris pertractata, vt veritatis ſtudioſo plene ſatisfactum eſt.

COSTERVS.

Mihi hactenus nemo viſus, auditus, vel lectus eſt, qui vlla in parte duabus meis de vocatione quæſtionibus ſatisfecerit. Cum enim duo ſint apud hæreticos genera Miniſtrorum, ſeu prædicantium: 1. eorum, qui nullo ſuſcepto Eccleſiaſtico ordine, prophani ſemper & Laici vixerũt: de quorum numero Greuinchouius ſe eſſe gloriatur: 2. eorum, qui ab ordine Eccleſiaſtico, aut Monaſtica vita, ad vos trãsfugerunt: Prior mea quæſtio prioribus proponi[illegible]uis

vos vocauit ? quis ad docendum misit? quis sacramenta ministrandi potestatem fecit ? Fortè dices, Magistratus sæcularis. Sed vnde huic ista authoritas ? Vos extra scripturam nihil recipiendum vultis: edite igitur de scriptura exemplum, quo sæcularis Magistratus Episcopum consecrauit, vel Sacerdotem ordinauit? Immò proferte vel vnum presbyterum, Episcopi manibus non consecratum? In quarta Synodo Carthaginensi, cui anno Domini 348. S. Augustinus adfuit, præscribitur ritus singulorum Ordinum, ab Apostolis acceptus: at vbique operantur Episcopi, nusquam sæcularis Magistratus. Altera, à posterioribus quæritur, Vos Ecclesia ad docendam Catholicam fidem destinauit, ordinauit, & misit: cur igitur noua dogmata præter vobis commissa prædicatis? Ignoratis, oratoris missionem reuocari, quando sui Principis mandatum violat? Dicitis, non esse noua, sed vetera, sacris literis conformia. Sed quis vos docuit, vestram doctrinam cum sacris literis conuenire, & veterem Catholicam ab ea dissentire ? Nonne etiam nos scripturas omnes admittimus? nonne illis summa demissione credimus? nonne illas, vt fidei regulam sequimur? nonne dogmata nostra ad illam exploramus ? Dicitis, nos illas corrupisse. Sed vnde id nostis? cur nuper inuenta expositio vestra anteferenda sit interpretationi Ecclesiæ, quam illa scripturis ipsis à Maioribus accepit?

pit ? Fraudis totius vestræ caput est, quod pro compertissimo vobis assumitis,& dari postulatis (cum sit fallum, fallax, & mendax)Nos violare sacras literas:vos inuiolatas seruare, ab eisque corruptelas nostras sustulisse. Sed idipsum de se dicunt Lutherani, & Anabaptistæ, vt quondam Ariani, Nestoriani, Nouatiani, cęteræque hæreticorum quisquiliæ.Qui candidè doceri vult veritatem, is dubia, quæ sibi de Scripturis occurrent, viris doctis aperiet: sicut quondam multi sacris doctoribus Augustino,Hieronymo,Basilio,cęterisque Patribus: eorúmque sententiam & documenta non spernet, nec furiis hæreticis agitatus,scripturas ad suas voluptates trahet:neque eas,quod ipse fieri cupit, dicere volet.Hoc enim est hæreticorum ingenium, noua dogmata comminisci : atque ad ea confirmanda, scripturarum centonibus abuti.

HÆRETICVS.

Si Catholici maximam semper legitimæ vocationis habuerunt rationem : inde consequitur,vestros Pontifices,Episcopos, Pastores nihil minus esse,quam Catholicos: propter Simoniam, similésque malas artes.Itaque Bernardus vester, *Quem dabis mihi de totâ maximâ vrbe,qui te in Papam receperit,pretio, aut spe pretij non interuenientè?*

COSTERVS.

Et vnde hæc nosti ? Tunc beneficio-

rum collationes omnes, aut Prælatorum electiones curasti? Ex angulo tuo Hollandico Romanos mores vides? Ego tum Romæ, & in Italia, tum in Germania, & alibi, præclara Ecclesiæ lumina conspexi. Agnosce Sophisma consequentis. Quidam malis artibus euehuntur, ergo omnes. At, inquis, Bernardus affirmat: à nemine Eugenium in Papam susceptum, nisi pretio, aut spe pretij. Affirmo ingenuè, in eius electione nullum pretium, aut spem pretij intercessisse. Sic enim ait Platina, in Romanos Pontifices alioquin non satis æquus: *Cum haud satis inter Cardinales constaret, quem potissimum de numero suo deligerent, diuino nutu perciti, virum sanctissimum Eugenium deligunt.* Agebat Eugenius Abbatem S. Anastasij: & vel inuitus ad Pontificatum abripitur. De
1236. quo S. Bernardus ad eius electores, *Parcat vobis Deus, quid fecistis? sepultum hominem renocastis ad homines, fugitantemq; curas & turbas curis denuò implicuistis, & immiscuistis turbis, fecistis nouissimum primum, &c.* Quod ergo ait, non sine pretio, aut spe pretij in Papam receptum, intelligit eorum hominum multitudinem, qui Romæ ad beneficia obtinenda versari solent: non vt beneficia pretio emant, sed vt à benigno Pontifice, ex laboribus & officiis Ecclesiæ præditis, aliquid assequãtur. Qui secus agunt, hi cum Simone Mago interibunt: siquidem Ecclesia Simoniam non aliter quam hæresim damnat, & beneficiis atque dignitate priuat.

HÆRE

HÆRETICVS.

Annatarum improbitas, quam ſapientes Reges, Principes, Imperatores ſæpiùs fruſtra tollere ſtuduerunt, & eorum grauamina Conciliis veſtris miſſa abundè demonſtrant.

COSTERVS.

Quid inuides ſummo Eccleſiæ paſtori atque parenti annatas: hoc eſt, portionem aliquam bonorum, quibus Cathedrales Eccleſiæ abundant, idque ſemel, ante cõſecrationem noui Præſulis? Ignoras mandatum Leuitis, vt ſummo Sacerdoti Aaroni, eiúſque ſucceſſoribus decimã partẽ ſuarũ decimarũ quotannis, ex præſtantioribus & melioribus oblationibus penderent? Onera Pontificis neſcis: qui miniſtris multis indiget, ad ea quæ functionis ſuæ ſunt curanda. Epiſcopos à vobis, veſtriq; ſimilib⁹ hęreticis, aut Turcis pulſos excipit, fouet, & pro dignitate nutrit, toti Eccleſiæ proſpicit: apud Chriſtianos Principes Legatos, aut Nuncios continuos habet, qui Eccleſiaſtica negotia promoueant. Ad hęreſes refellendas, & infideles ad fidẽ conuertendos, varia Seminaria ſtudioſorũ Adoleſcentum erigit, & magnis ſumptibus ſuſtentat. Romæ præter alias pauperum familias, ſunt Collegia Germanorum, Anglorum, Græcorum, Maronitarum, & Romanorum: omitto, quæ alibi in Germania, Auſtria, Gallia, India, Iaponia, &c. circiter 20. ab vno Gregorio 13. exci-

Num. 18.

tata fuerunt. Quorum omniũ alumni, noſtræ societatis curæ commiſſi, hæreticis terrorem eiuſmodi incutiunt: vt cum veri nihil, quod ad eleuandam eorum & noſtram exiſtimationem, habeant: mendacia ſicarum, proditionis, impuritatis, ſimiliũque abominandorum facinorum, ad eorum nomen obſcurandum, comminiſcuntur. His tamen adeò nihil apud eos, quibus noti ſumus, promouent: vt ſe etiam ridiculos, inſtar Morionum, & odioſos, inſtar impotẽtium inuidorum, exhibeant. Igitur ſicut in decimarum exactione nullum eſt Simoniæ vitium: ita nec in Annatis: ſed ius ſummo Sacerdoti debitum, & communi Conciliorum decreto, (vt fateris) acquiſitum. Si qui Principes his obſtare fruſtra conati fuerunt, argumento ſunt omnibus hoc decretum diuina editum voluntate: qui Chriſti Vicarios non minoris haberi, quàm Pontifices Iudæorum, voluit.

CIRCA CAP. XIII.

DE inconſtanti hæreticorum doctrina duplici: Nam. 1. ipſi mutant ſuã. 2. mutant ſuorum Maiorum.

HÆRETICVS.

Qua ratione confirmas, Philippi locos communes, ſine nouo errore nunquam typis mandatos?

COSTE!

COSTERVS.

Ex variis codicibus, quos legi: quibus nunc duo, nunc tria, nunc quatuor sacramenta credenda proposuit. Simile est de Augustana confessione: quæ anno Domini 1530. speciem panis in Eucharistia credebat: anno sequenti corpus Domini: posterioribus editionibus panem. Et ista non leuia, sed quæ fidem concernunt, & vt credenda populo traduntur.

HÆRETICVS.

Auxit librum suum: sicut tu tuum Enchiridion.

COSTERVS.

Enchiridion auxi nouis libellis & controuersiis, non mutata fidei doctrina.

HÆRETICVS.

Non mirandum, Melanchthonem, hominẽ in densissimis Papatus tenebris enutritum, paulatim ex iis emersisse: & diligenti scripturarum examine, & pia Dei inuocatione, in veritate profeciſſe.

COSTERVS.

Quæram duo: *Primò*, qui nosti eum apud Catholicos, ex densissimis paulatim erutum tenebris? Nisi, quia noua comminiscebatur, quæ cum doctrina Ecclesiæ non conueniebant: suaque commenta, lucem, Ecclesiæ doctrinam, tenebras esse volebat? Nos potiori iure deflemus cimmerias tenebras vestras: qui lucem catholicæ veritatis, quam [illegible]us

mundus aſpicit, miratur & colit, vos ſoli non videatis: qui in aperta Domini verba: *Hoc eſt corpus meum*, caliginem inducitis: qui tot ad lucem attracti rationibus, in iiſdem tenebris hæretis: cumque vobis, quod ſolidè reſpondeatis, deſit: nihil præter antiqua, & millies ſoluta, producatis. *Secundò*: Vnde ſcis, Philippum, cæterósque veſtros paulatim profeciſſe potius quàm defeciſſe? Vnde noſti, ſpiritum eius, quo dictauit quatuor ſacramẽta, diuiniorem eo fuiſſe, quo antea docuit duo, & tria? Qui de monte ruit, labitur in peius. Cæcus cæcum ducit, & demùm ambo in foueam cadunt. Illyricus, centurianorum caput, anno 1566. Antuerpienſibus tradidit fidei ſuę confeſſionem: poſtea Fuldę à duobus Societatis noſtræ Sacerdotibus, Chriſtiano Haluerio, & Oſwaldo Redlingio, coram multis errorum conuictus, & de conſtanti veritate confeſſionis prædictæ interrogatus: palam, cum multorum Lutheranorum ſcandalo, faſſus eſt, Se modò ea omnia non audere tueri, quæ illic ſcripſerat. Spiritus hæreticorum variatur, & variat: quia etiam ipſi variabiles ſunt. Huius cauſa eſt duplex: tum, quod initio non præuideant incommoda omnia, ad quæ paulatim Catholicorum rationibus perducuntur: hac de cauſa dicitur Caluinus, à ſuis monitus, priorem ſuarum inſtitutionum editionem ſuppreſſiſſe: tum quòd cum hæreſi creſcat impietas: & cum impie

impietate error, mater & filia impietatis.

HÆRETICVS.

Augustinus fateturſſe de numero eorũ, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribẽdo proficiũt: qua pia mente errores ſuos nõ paucos, per varios libros diſperſos, virum ſanctiſſimum retractare non puduit.

COSTERVS.

Quomodo hunc vocas, virum ſanctiſſimum, qui (vt ſuperiùs docui) Euchariſtiam adorauit, & adorare docuit: qui B. Virginem aliosque ſanctos inuocauit: qui pro matris anima Deum orauit: atque vt ſacerdotes ipſius ad altare meminiſſẽt, ex ipſa rogauit: aliáque vobis idololatrica nobiſcum ſeruauit? Magno ſanè diſcrimine vos ab iſtius ſanctiſſimi viri exemplo ſeparati eſtis. Ille, quæ ſcripſit non, vt ab omnibus fide tenerentur, ſuis libris, vulgauit neq; ſcripta ſua Eccleſiæ totius iudicio anteposuit: ſed vir humillimus, quicquid ab vniuerſa Eccleſia norat obſeruari, ſancta demiſſione ſuſcepit, vt eos argueret inſolentiſſimæ inſaniæ, qui eorum quippiam in controuerſiam vocare auderent: itaque tempore & vſu doctior, tum in Scripturis, tum in Apoſtolicis traditionibus, & ſanctorum Patrum decretis, errores priores ad eorum normam correxit. Vos, vniuerſam toto Orbe diffuſam Eccleſiã grauiſſimorũ errorũ arguitis, & excogitatis ſom- Fpiſt. 118

nia

nia pro fidei articulis, seu verbo Dei traditis: eadem tamen, quæ heri vobis certissima fuerunt, & Dei verbum, hodie vobis sunt falsa, aut minus vera. Itaque rectè Georgius Saxoniæ Dux de Vvittẽbergensibus dicere solet: *Quid vicini mei hodie credant scio: quid anno sequenti crediturí sint, ignoro.* Quid inconstantius Bucero? qui ex Iudæo factus Christianus, tum monachus Dominicanus, deinde excucullatus Lutheranus, rursus Zvvinglianus, postea nouũ cõmentus dogma, (vt Hæresiarchæ nomine gloriari posset) demùm moritur Iudęus in Anglia. Siquidem sub finem vitæ rogatus à discipulis, vt vel tandem, post tot mutationes doctrinæ, aliquid eis certi præscriberet, in quo, tanquam in vera ipsius & postrema mente conquiescerent, dicitur hunc in modum respõdisse: Video tam altas Papatum in sacris literis radices fixisse, vt, si Christum confiteamur, admittendus sit etiam Papa: meo igitur iudicio expectetur etiamnum Christus. Hęc ab annis ferè 50. mihi à viro grauissimo narrata sunt: quæ etiam postea à Gabriele Prateolo Theologo Parisiensi, & aliis nõnullis, descripta reperio. Et quot, quæso, vidimus sub Frederico Comite Electore, religionis mutationes in Palatinatu? quot in Prussia? hîc tempore 38. annorum, sex: illîc, quinque. Quid ita? Quia quod placuit heri, id displicet hodie.

HÆRE

HÆRETICVS.

Quod ad Discipulorum inconstantiam attinet: primum demonstrandum tibi est, præceptorum nostrorum doctrinam, quã sequimur, esse impiam: aut ab aliqua pia illorum sententia nos recedere.

COSTERVS.

Nihil nunc ago de impietate, sed de discipulorum Lutheri inconstantia: quã impietas sequitur. Constat, Caluinum post Carolstadium, Zvvinglium & Bucerum, à Luthero ad Sacramentarios defeciſſe. In confesso quoque est apud omnes, quod Caluiniani à Lutheranis lõgè maiori odio quam Catholici habeantur. Argumento nobis est Antuerpiensis seditio, vbi Lutherani, coniunctis animis & manibus cum Catholicis, tumultuantes Caluinistas vrbe exegerunt: & insignia conuitia, quibus eos suis scriptis perstringunt, idipsum conuin-

cu[illegible]

HÆRETICVS.

Lutherus, vt vir fuit maximus, & de Ecclesia optimè meritus: sic residuum aliquid fęcis Pontificię in doctrina de Sacramentis retinuit.

COSTERVS.

De qua Ecclesia? Catholicáne, quã studuit euertere? an Caluiniana, quã detestãtur sui? Vnde probas: fęcẽ esse doctrinam eius de Sacramentis: cum sua no[illegible]us

m

quam vos, literis sacris confirmet? Iam nouit, cum tuo Caluino, quàm præclarè fuerit meritus de Ecclesia.

HÆRETICVS.

Quod ais, *A Luthero, Caluinistæ, Anabaptistæ, Cõfessionistæ emanauerũt*: iniuriis abundat.

COSTERVS.

Pudet te discipulum esse magni illius viri Lutheri, de Ecclesia optimè meriti? Nónne parens vester Caluinus à Protestãtium Lutheranorum partibus stetit in Comitiis Ratisponensibus anno 1541. quãdo illi contra Zvvinglianos hanc fidei suæ professionem Imperatori porrexerunt? *Fatemur in cœna Domini, verè & realiter corpus & sanguinem Christi adesse, & cum pane & vino exhiberi sumẽtibus.* Sic & Paul. inquit, *Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Improbamus igitur eos, qui non confitentur veram præsentiam corporis & sanguinis Domini, &c.* Admodum 1524. cœpit Sacramentariorum secta (cuius partem se traxit Caluinus) ab Andrea Carolstadio Archidiacono Vvittembergensi, Lutheri familiarissimo: qui primus ex Sacerdotibus sacrilegas nuptias contraxit: quas Lutherani, noua Missa à se confecta, tanquam rem admodum sacram & piam, celebrarunt. Sequenti anno, ex eadem Lutheri schola prodierunt Anabaptistæ: auctore Thoma Muncero, vt quidam, vel vt alii, Balthazaro Pacimontano. Qui à Lutheri Baptismũ sine fide nihil prodesse

desse, abrogauerunt baptismum paruulorum. Itáque serpẽs vnus Lutherus tres mũdo effudit viperas: Confessionistas, qui & Protestantes, Sacramentarios, ex quibus Caluinistæ, & Anabaptistas, in innumeras sectas diuisos.

HÆRETICVS.

Cùm Caluinus & alij in veritatis stadio longius progressi sint, quam Lutherus, iniquè eos inconstantiæ & erroris insimulas.

COSTERVS.

Vnde nosti, Caluinum longius in stadio veritatis, quam mendacij & impietatis currere? Lutherani ijsdem nituntur scripturis: quibus omnia sua probant, vosq; multorum errorum insimulant. Profer in medium, (si vales) quod illi pro se proferre nequeant. Nescis toties celebratas Synodos inter Lutheranos & Sacramentarios, annis 1529. Marpurgi, 1534. Cõstantiæ, 1535. varijs locis, 1536. Vvittẽbergæ in domo Lutheri, ad [illegible] inter eo scomponendam, quę nunquam coire potuit, cum vtrique Dei verbũ sua quique interpretatione ad se traherẽt? In Collegio Mulbrunico anno 1564. idem æquè infeliciter. successit, præsentibus licet duobus Principibus, partium Patronis, Electore Palatino, & Duce Vvittembergensi.

HÆRETICVS.

Quod Caluinistas eos nominas, qui in Christi nomen baptizati sunt, & eius solo

verbo omnia reformanda docẽt, & Christo solùm gloriantur: conuitium est à rei veritate, & charitate Christiana alienum.

COSTERVS.

Quo ergo nomine vos cõpellabo, vt vos seperem à Lutheranis & Anabaptistis? hi enim affirmant se in Christi nomen baptizatos: eius solo verbo omnia reformanda docere, & solo Christo gloriari. Et nos Catholici cum B. Paulo nullam aliam agnoscimus gloriam, nisi in cruce Dñi nostri Iesu Christi: ad cuius verbũ & literas sacras velut collimamus vniuersam doctrinã nostram. Veteres scriptores, Irenæus, Iustinus, Patianus, Lactantius, Hieronymus, &c. hoc affirmant, hæreticorũ esse proprium, vt non à Christo, sed à suo Auctore nomẽ accipiãt: Nouatiani à Nouato, Ariani ab Ario, Lutherani à Luthero, Caluinistæ à Caluino. Et cur potius Lutheranos à Luthero voces, quam vos, Caluini sectatores, Caluinistas? Iam obtinuit per orbem vniuersum nomen Caluinistarum. Sic vos compellant Catholici, & omnes hæreticorum Sectæ: vos soli reclamatis. Quid si morionem quempiam omnes appellent stultum, & ipse se solus sapientem dicat, cui fidem habebis? Maneat igitur vobis hoc nomen: ne alio communiori, quod sibi omnes arrogãt, cæteris fiat iniuria. Nemo Caluinismi vobis nomen inuidet: quia & hæresim & vocabulum omnes detestantur.

1. 1. ca. 20. l. cũ Trip. Cyprian. 4. cap. 30. contra Lucifer.

HÆ

HÆRETICVS.

Nec enim Caluinum nouę doctrinę auctorẽ agnoscimus, sed fidelem antiquæ sacræ scripturæ præconem: nec in verba eius iuramus, sed eatenus tantũ sequimur, quatenus Dei verbum fideliter proponit.

COSTERVS.

Duo dicis: 1. te Caluinum sequi: 2. eatenus sequi tantùm, quatenus Dei verbum fideliter proponit. Illud te facit Caluinistam, hoc est discipulum & sectatorem Caluini: istud, hæreticum, qui tibi iudicium arrogas, & Magistro te tuo anteponis. *Quatenus* (inquis) *Dei verbum fideliter proponit*: hoc est, quatenus, meo iudicio, conformia sacris literis docebit. Et vnde hoc scies, arrogans discipule, Iudex, & carptor Magistri tui? Videsne innumeris hęresibus per vos ianuam aperiri? Ideo enim tot hæreses ex vna radice pullulascunt, quod quisque sibi de vero scripturarum sensu iudicium assumat. Nec ergo superiùs rectè Catholicos ab hæreticis discreui: quod illi non suam, sed communem Ecclesiæ fidem nominãt, vos non communem, sed vestram? Et quid si tibi caluinus in aliquo articulo minus rectè cum scripturæ sensu loqui videatur, nonne noui dogmatis inuentor eris, & nouus Hæresiarcha, quicum alijs non per omnia consentias? Quanto satius te submiseris Ecclesiæ iudicio: quæ est mater nostra, firmamentum & columna veritatis. Quæ est hæc apud vos Ecclesia: *postquam*

Quisquis

vnicuique liberum est pro iudicio suo scripturam interpretari, atque de eius genuino sensu iudicium ferre?

HÆRETICVS.

Denique quod Anabaptistas ab eodem Luthero profluxisse obijcis, pari omninò ratione & iure Simonem Magum, aliaque hæreticorum portẽta, Apostolis asscribes.

COSTERVS.

Et cur vos Anabaptistis meliores? Nõne omnes hęretici, & Ecclesię desertores? Nõne omnes à nobis existis? Nõne cõmunibus viribus Ecclesiã matrẽ vestram impugnatis? Et quid quęso discriminis est inter Caluinistas & Anabaptistas: quã quod diuersis vijs & telis nos impetant, diuersis interpretationibus scripturas corrumpãt, diuersis ritibus Ecclesias deforment, diuersis sectis populũ Christianũ lacerent, diuersisq; hæresibus mundum conspurcent? Age, quibus rationibus vos probabis orthodoxos: quib. pro se Anabaptistę vti nequeant? Dices vos ad normam scripturæ docere, Ecclesiam reformare: idem ipsi. Dices, veritatem, puriorem q; scripturarũ intellectũ penes vos esse: id ipsum illi. Dices, vos purius Sacramenta administrare: idem & ipsi. Dices, vos apertissimis scripturis omnia vestra confirmare: idem etiam ipsi dicent. Dices, ipsos idiotas, indoctos, rudes: ipsi in Prædicantiũ vestrorum numero inuenient sutores, textores, carnifices, & fæcem vulgi. Dices, vos antiquiores: at illi vobiscum de antiquitate com

te contendunt. Nam quorundam opinione ipsi anno Domini 1522. orti sunt: Sacramentarij anno 1524. Dices, ab Apostolis ad hæc vsque tempora, nunquam de vestris in orbe defuisse: id enim charitate credendum esse, quæ optimam semper spem concipit de aliorũ salute: idem ipsi fatebuntur de suis Symmistis. Quandoquidẽ non magis vos Caluinistę, quã ipsi prouinciam vel Rempubl. vllam, quę ante vtrorumq; parẽtis Lutheri tempora, eãdem doctrinam per omnia tenuerit, coluerit, & exercuerit, toto terrarum Orbe, vel demonstrare, vel nominare vnquam potuisti. Latuerũt igitur omnes: sicut in femoribus Patrum latent, qui necdum nati sunt.

HÆRETICVS.

Ecclesiam Romanam columnam esse, & firmamentum veritatis, libenter vobis largiemur, vbi veritatem doctrinæ vestræ ex sacris literis comprobâris.

COSTERVS.

Vestru Catholicam Romanę Ecclesię doctrinam, cum vlla sacrarũ literarum particula vel minima, pugnare cõuiceris, palmã certaminis reportabis. Hactenus enim nihil de scriptura nobis obiectum vidi, quod non fuerit facilè instar telæ aranearum, disruptum & dissipatum.

HÆRETICVS.

Verùm, cum ab ijs (literis sacris) ad humana commenta & fabulas defeceritis, & Christum, vnicam illam Ecclesiæ & salutis

petram esse, pernegetis: inanem vestram iactationem prudentes vident.

COSTERVS.

Totidē verbis hæc tibi repeto. *Cùm à literis sacris ad cōmenta*, id est, nouas scripturæ interpretationes, *& fabulas* somniaq; vestra *defeceritis, & Christum vnicam illam Ecclesiæ & salutis petram esse pernegetis*, sed vanā & commentitiam vestram fidem extollatis, *inanem & impiam vestram arrogantiā prudentes vident.* Absit à nobis, vt Christum, spem vnicam esse nostram pernegemus. Hæc est consueta vestra calumnia, qua nos apud imperitum vulgus sceleratè traducitis? Cùm Christi passioni & meritis multo amplius, quàm quisquam hæreticorum tribuamus.

CIRCA CAP. XIV.

De miraculis.

* * *

HÆreticus miraculorum inops, primò superuacua esse miracula probat: tum improbat & ridet miracula Sanctorum.

HÆRETICVS.

Si miracula requiris, producimus tibi Prophetarum, Christi, & Apostolorum miracula omni exceptione maiora: quibus ea doctrina,

ctrina, quam tenemus ante multas annorũ centurias confirmata est.

COSTERVS.

Sed eadem meliori iure producimus nos catholici: ad quos per quindecim cẽturiarum successiones, christi & Apostolica doctrina incorrupta defluxit. Quid hîc noui dicis: quod pro se Lutherani & Anabaptistę, vt olim Ariani, Nestoriani, &c. nõ dicãt?

HÆRETICVS.

Nam quod de nouitate doctrinæ nostrę perperuò regeris, eadem facilitate & maiori iure, à nobis negatur, quam à vobis asseritur. Nos enim ad sacrarum literarum examen & iudicium, christo duce, prouocamus.

COSTERVS.

Sic prouocant Anabaptistæ, vt olim etiam Ariani, & cætera hæreticorum portenta. Si noui non estis, profer rẽpublicam, quæ his 800. annis doctrinam vestram omni ex parte coluerit. Quod dum nec facitis, nec [illegible] potestis, profectò noui estis.

HÆRETICVS.

Vos noctuarum instar, lucem & summũ sacrarum literarum iudicium subterfugitis & detrectatis.

COSTERVS.

Mẽdax calumnia, quam nobis apud rudẽ plebeculam cõtinenter impingitis. Obijce, quotquot voles, scripturas. Nã hæ sunt nobis clypeus & gladius. Eas tamen non ad

excogitatas interpretationes vestras, sed ad sensum veterum Patrum & totius Ecclesiæ Catholicæ suscipiemus exponendas.

HÆRETICVS.

Miracula vestra eiusmodi sunt, vt ea nõ immeritò aduersarij vestri aspernentur: &, vel pro dęmonum operibus, vel pro fictis & cõmentitijs habeant. Nam quę à vobis cõmendantur ad erroris patrociniũ, & doctrinam Dei verbo repugnantem: vi dęmonis, aut arte humana effecta, aut ad rudiores fallendos, à vobis conficta sunt.

COSTERVS.

Aduerte elenchum petitionis principij. Nos ex veritate & copia miraculorum, docemus doctrinam nostram veram, & vestrã falsam. Tu contra ex veritate doctrinæ vestrę, quam miracula impugnant, probare niteris miraculorum falsitatem. Mira, inquis, vestra facta sunt in patrocinium erroris: Ergo conficta. Prius docendum fuit, quod pro vero assumis. Hoc enim est vnicum, quod controuertitur: Sitne erronea doctrina Catholica nostra, an Caluinistica vestra. Simili argumentationis forma vtebantur olim Pharisæi: hic Iesus nõ est Christus, neque filius Dei: Igitur in Beelsebub principe dęmoniorum eijcit dęmonia, vel, conficta sunt eius miracula, non vera.

HÆ.

HÆRETICVS.

Vt Christophorum, & similes Sanctos, qui nunquam in rerum natura extiterunt, & alia infinita omittam: quid indignius & absurdius fingi potest iis miraculis, quę aurea vestra legenda, Conformitatum libris, & Sanctorum vestrorũ Bonauenturæ Cardinalis legenda, & Antonini Episcopi historia de Dominico, Francisco, & reliquis eius farinæ Sanctis viris referuntur?

COSTERVS.

Agis denuò Sophistam. Quædam miracula cõficta sunt: Ergo omnia & nulla vera ad Catholicæ veritatis confirmationem edita. Non omnia probo, quæ à vulgo feruntur: non ausim tamen ea reijcere, quæ publico testimonio comprobantur. Conformitatum libros perlegi, & S. Francisci vitam à D. Bonauentura descriptam: in quibus me nihil offendit: qui noui, Deum per Sanctos operari mirabilia. Vobis sunt miracula putida & insulsa, atque à grauitate diuinorum miraculorũ abhorrent: sed [illegible], ne ipsi putidi sitis, & insulsi, qui Sanctos, iam cum Christo in cælis regnantes tanquã nullius, aut insulsæ farinæ, blasphematis. Cæterum quid ad miracula D. Bernardi dicis, & ad ea quæ B. Gregorius Põtifex, B. Augustin. B. Gregorius Nyssenus, & alij Patres de Sanctis suorum temporũ scriptis testantur? Nulla est apud vos historiarum fides? Commẽti sunt historici omnes? At libri sunt probatorum miraculorũ pleni. Neq; hodie desunt, sicut nullo va-

quam sæculo defuerunt, vt enim Christus fidem, & Ecclesiam suam miraculis plantauit, ita miraculis crebris conseruat: tum, vt Christiani in fide semel suscepta confirmentur: tum, vt infideles ad fidem conuertantur: tum, vt hæreticis ora obturentur. Quæ enim apud nos eduntur miracula tribus de causis fiunt. 1. In doctrinæ diuinæ testimonium: quæ miraculis inchoari debet, vt ait B. Augustin. 2. In commendatione sanctorũ virorũ: quomodo iam fide confirmata, sancti Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Vincentius, Valentinus, & innumeri alij, miracula ediderunt. 3. In cõdemnationem hæreseos. Sicut Episcopus Cyrola Arianus eum, qui à se corruptus cæcitatem finxerat: imposita hæretica manu, lumine priuauit. Notum est orbi miracul[illegible] Caluini, quo miserum Bruleum Ostunensem, quem pro confirmatione doctrinæ suæ, ad fingendum mortuum induxerat, publicè pro concione, tãquam mortuum excitaturus, clamans, ita priuauit. Tu vel vnum recita miraculum, ab aliquo Symmistarum tuorum editum, quo Deus testatus sit, vel fidem & doctrinam vestram, vel vitæ sanctitatem (quę sine orthodoxa fide cõstare nequit) sibi probari: vel nostrã sibi improbari. At Deus, veritas ipsa, nequit esse mendacij testis.

4. contra dam. & li. de Ciu. c. 8 Gregor. Turonsis li. 2. hist. Franc. 3.

HÆRETICVS.

Fabulosissimum est miraculum Sacelli Lauretani, Angelorum manibus translati: cuius

cuius historiam Horattus Tursellinus suis edidit.

COSTERVS.

Non ideò fabulosa historia, quia vobis hæreticis fabulosissima. Eã perlegi ex Autographo libro Magistratus Ricenetensis, cuius totus ille locus erat. Is enim summa industria, magnísq; impẽsis de veritate inquisiuit, quæq; comperta fuerunt, scriptis cõmendauit. Admirare potius Dei bonitatem & potentiã, qui cubiculũ incarnationis suæ, de oppido Nazareth in montem Lauretanũ trãsferre dignatus sit: vt locus, in quo verbum caro factum est, Infideliũ Turcarum nequitia non interiret: sed Catholicorum coleretur deuotione: & hæreticorum conuinceret impietatem.

HÆRETICVS.

Simile est, quod ait venienti domicilio arbores obuias, velut venerabundas, inclinasse se: ac deinde pronas perstitisse, quoad æuo, ventis, ferro, procumberent.

COSTERVS.

Cur irrides, & non credis? Lege Zozomeni historiam non dissimile de arbore Hermopolitana referentem: quæ se, aduenientе puero Iesu cum Matre & Iosepho in Ægyptum, in solium vsque tanquam adorans Deum suum, inflexit. Cuius postea fructus, folia & corticis particulæ morbos à quamplurimis depulerunt. Voluit igitur Christus Dominus cubiculi incarnationis suæ sanctitatem hac Arborum veneratione contestari. Lib. 5. ca. 20.

HÆRETICVS.

Omitto fœdam illam sacelli Lauretani inscriptionem: *Hic tabernaculum Dei cum hominibus.*

COSTERVS.

Impurus hæreticus fœdis oculis fœditatem in sancta inscriptione videt: Sed quænam fœditas in his verbis: *Hic tabernaculum Dei cum hominibus?* Si in populo Israelitico quondam fuit tabernaculum Dei cũ hominibus, de quo dixit Deus Salomoni: *Erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* 3. Reg. 9. Cur non credamus, Christum in hoc domicilio cum sanctissima Matre, si non corpore, saltem corde versari: vt & necessitatem nostram videat, & preces exaudiat? Testes mecum sunt, quotquot deuotè hoc Lauretanum cubiculum adeunt, statim ipso ingressu diuinum aliquid se in animo experiri. Si rides, nec credis: veni, periculum fac: adi hanc sanctam domum: fortè precibus & meritis sacratissimę Matris Dei in aliũ virum mutatus, Dei virtutem, loci sanctitatem tuis Hollandis prædicabis.

HÆRETICVS.

Quis adeò amore Dei vacuus, vt reliquias vestras & imagines, quibus miserè rudiores fascinatis, tanquam perniciosa Idololatriæ instrumenta, disturbare, confringere, exurere, si authoritate Magistratus iubeatur aut probetur, non contendat?

COSTERVS.

Et quis primus hæc idololatriæ instrumenta in mundum induxit? Quis primus San-

Sanctorum reliquias veneratus est? Ante 1200. annos, sic scripsit B. Basilius: *Martyris ossa quisquis attigerit, illius iustitiæ sanctitatisq; quodammodo particeps, ob gratiam ex eorum corporibus procedentem, efficitur.* Eius frater Germanus Gregorius Nyssenus. *Christiani*, ait, *loculo Martyrum, corporum reliquas partes cupiunt admouere. Etenim ipso contactu sanctimoniam credunt & charitatem excitari: Si quis autem puluerem in ipsa loculi superficie, vbi corpus martyris requieſcit, inhærentem præbeat, pro ingenti munere accipiunt: & terram tanquam rem pretiosissimam, reponunt. Nam si cui fortè facultas detur, vt ipsius reliquias attingat, id verè eiusmodi censetur donum, vt supremo voto nihil magis optari posse videatur. Ipsum enim corpus amplectuntur ac deosculantur, oculis, ore, auribus: omnibus denique sensibus adhærent: lachrymásque pietatis & affectionis indices effundunt: martyríque supplicant, vt pro se apud Deũ legationis munere fungatur.* D. Chrysostomus eodem sæculo: *Sæpe*, ait, *Martyres inuisamus, sepulcra adoremus, magnáque fide reliquias eorum attingamus: vt inde benedictionẽ aliquam consequamur.* Et alibi. *Quis mihi nunc dabit circunfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius?* Eodem modo veteres omnes doctissimi sanctissimíque Patres. Hos sermones eorum, & hanc populi consuetudinem, cur non aliquis Caluinista compescuit? Fecit id (inquis) Vigilantius. Sed (vt ait B. Hieronymus) dæmonis instinctu, & ab eo possessus. Cur Ecclesia

In psal.

Serm. de Theodo

Serm. in F uent. & M mum mar hom. 15. in nes. Homil. Epist. ad Rom.

Caluiniſtica(ſi quæ tunc erat)B.Hieronymi audaciam non repreſſit?De imaginum veſtra cõfractione,audiante 1000. annos D.Gregor.ſcribentem Sereno Maſſil.Epiſcopo: *Perlatum ad nos fuerat, quod inconſiderato zelo ſuccenſus, Sanctorum imagines, ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuiſſes, omninò laudamus: fregiſſe verò, reprehẽdimus. Dic frater, à quo factum ſacerdote, auditum eſt quod feceriſti? Si non aliud: vel illud non debuit te reuocare, ne deſpectis alijs fratribus, ſolum te ſanctũ, & eſſe crederes ſapientem?* Sic veteres de reliquiis & imaginum confractione. Sed hæc quia non ſunt conſentanea Caluiniſtico Euangelio: dicuntur næuis maculati, ab hominibus omni ſpurcitia fædioribus. De his autem plura, tractatu de Reliquiis & imaginibus: ſi vita & occaſio dabuntur.

9.Epiſt.9.

HÆRETICVS.

Si huius rei confirmationem ex literis ſacris deſideres: ne longius euageris, ſecundum tantum decalogi præceptum, & Dei explicationem attende: & quam iuſta iudicij lance imagines veſtras ponderemus, & æſtimemus, facilè comperies.

COSTERVS.

Si Scripturæ illius genuinum ſenſum, ex veterum interpretatione deſideres: ne longius vageris, ad ea quæ in Enchiridio, [illegible].de imaginibus, reſpondi, attende: & Eruditiorum Morionum more, in circuitu ambulare comperies. Solutionem datam

datam prætermittis : & quasi nihil dictum fuerit, eandem cantillas cantilenã. Secundum dialogi (vt vos numeratis) præceptum ante mille annos non ignorauit Ecclesia: quæ cultum imaginum nunquam arbitrata est cum eo pugnare : sicut in Enchiridio docui.

HÆRETICVS.

Nec certæ apud vos sunt reliquiæ, nec rectè honorantur. Nam quid certi in iis esse possit, cum eadem corpora, capita, & reliquias Sanctorum variis in locis, eodem tempore extare, turpissima contradictione fingatis, & turpiori idololatria adoretis?

COSTERVS.

Cur Bellarmini solutionẽ non impugnas: quæ huic argumento præceptoris tui Caluini sic respondet? *Dico in variis locis esse partes eorundem corporum, sed denominari à parte totum. Nam, vt scribit Basilius, oratione in 40. Martyres, toti martyres 40. dicebantur tunc esse variis vrbibus: quia quælibet Ciuitas habebat partem eorũ. Theodoretus etiam, lib. 8. de Martyribus, dicit, Martyrum corpora rarò inueniri integra in aliquo monumento, sed esse diuisa & distributa in varia loca. Denique sanctus Ioannes Chrysostomus in libro, Quod Christus sit Deus, Apostolum Petrum & Romæ, & Constantinopoli iacere dicit, cum tamen Constantinopoli nihil esset, nisi aliqua particula. Nam idem corpus Romæ esse sepultum, idem testatur Hom. 32. ad Romanos.* En solutionẽ dissimulas, more stultorũ, qui sua sine [illegible]

petunt, quicquid contrarium inculces.

HÆRETICVS.

Dei gloriam insigni idololatria, in eas transferendo, contaminatis indignis modis. Siquidem thura religiosè eis adoletis, cereos in earum honorem accenditis, genu flectitis, magna pompa circumfertis, & adorandas ostentatis: nec denique prætermittitis quicquam quod idolis suis Ethnici detulerunt.

COSTERVS.

Videris in Theologicis rebus admodũ parũ versatus: & magna insciti ignorare, quanã in re consistat diuinus cultus. Disce igitur, honorẽ illum & cultum, qui sine vitio aut reprehensione potest hominibus tribui, vel alicui creaturæ, non esse diuinum: quem Græci *latriam* vocant, debitum soli Deo. Quo in genere cũ sint quinque illa à te enumerata: fit vt idololatriã non cõmittant Catholici, q̃ his sacras reliquias venerantur. Nã 1. *Thure* suffimus in Ecclesiis nostris non solũ res sacras, sed etiã homines tam seculares, quàm Ecclesiasticos: adeóq; res inanimatas, vt vestes, candelas, parietes: sicut easdem aspergimus aqua benedicta. 2. *Tædis & Cereis* accẽsis, inducí solent Principes inaugurandi in ciuitates suas. 3. *Genu flectit* filius offenso Patri. 4. Vehimur equis, curribus, rhedis, lecticis: infantes vehis feruntur: apud Chinas gestantur primores sedibus, mancipiorum humeris. 5. Imperatorum, non solùm Gentilium, sed etiam Christianorum *Imagines*

& Sta

& *statuæ*: quondam proponi solent adorandæ, hoc est, externo honore afficiendæ. Et in veteri lege adorati sunt reges: atq; ipse sanctissimus pater fidei nostræ Abrahã adorauit filios Heth. At, inquis, his omnibus coluerũt Gentiles idola sua? Ignoras adorationis species à mente distingui. Præter sacrificium (quod teste Augustino, soli Deo offertur) nulla est externa actio, quam non possis deferre creaturis: sicut de tuis quinque enumeratis iam ostensum est. Intentio in his, *Latriam*, aut, *Duliam*, aut *Politicam* venerationem facit. Si enim genua flectis, vt summo omnium creatori, eique te vt Deo, corde prorsus subiicias, latria est: si idem præstes, vt principi, erit politicus honor: si vt Sancto iam cum Christo regnanti, hunc vocant Theologi cultum Duliæ. Gentiles Idolis suis thus adolebant, vt Diis cereos & lumina accendebant, genu flectebant, eos magna pompa circumgestabant, & adoranda ostentabant: sed vt Deos. Absit à nobis, vt quippiam tale vel per somnium cogitemus. Hunc porrò ritum nostrum sacras reliquias & Sanctos prædictis modis venerandi, in antiquis Patribus inuenies. S. Augustinus ita scripsit de Africæ consuetudine: *Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente Proiecto reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriã veniebat magnæ multitudinis concursus & occursus. Ibi cæca mulier, vt ad Episcopũ portantẽ sacra pignora, duceretur, rogauit: flores* Gen. 23.

Li. 8. de cap. 27.

Li. 22. de c. cap. 8.

bat, dedit, recepit, oculis admouit, protinus vidit: stupentibus, qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. Addit de Lucillo Episcopo, qui eiusdē Sancti reliquias pro more gestans, à fistula qua laborabat, sanatus fuerit. Sanctus
or. conf. Gregorius Turonensis ante annos mille sic scripsit in Gallia: *Cum lues inguinaria populum Germaniæ deuastaret, populus Remensis metuēs sibi: accēsis cereis, lychnisq; nō paucis, hymnis & psalmis per totam excubat noctem: & reuelante Deo, qualiter oratione præmissa, adhuc maiori propugnaculo vrbis propugnacula munirentur, assumpta palla de beati* (Remigij) *sepulchro, componunt in modum feretri, accensisq; super cruces cereis, ac ceroferabilibus, dant voces in cantum, circumeunt vrbē cum vicis, nec prætereunt vllum hospitium, quod non hac circuitione concludant. Cum igitur post multos dies lues aggrederetur fines ciuitatis, ad eum locum accedens, quo Beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, introgredi non modo ausus nō est: sed etiam quæ in principio peruaserat, huius virtutis repulsu reliquit.* Nota hic 1. Antiquā Christianorum consuetudinem circumferendi sacras reliquias. 2. Causas eiusmodi processionum, instantem aut præsentem aliquam calamitatem. 3. diuina reuelatione sacras reliquias circumferri. 4. Miracula sanitatum, & conseruatæ ciuitatis. Idem sanctus Episcopus sæpius narrat, diuinitus [illegible]os cereos ad reliquias Sanctorum [illegible]ina diuinitus apparuisse. Beatus

Gre

Gregorius Papa narrat, à populo esse di-
uinitus impetratam pluuiam, circumlata ibid.c.
per agros veste sancti Eutherij tempore
siccitatis. Et, ad reliquias Sanctorum Ste-
phani & Marthæ, lampades diuinitus ac-
censas. Sanctus Cyrillus ex Concilio E- Epist.3
phesino sic inter alia scripsit: circa annũ
Domini 431. ad suos Alexandrinos, de ho-
nonore Catholicis Episcopis Ephesi dela-
to, post Nestorij damnationem: *Egredien-
tes nos ab Ecclesia deduxerunt cum lampadibus
vsque ad diuersorium nostrum, (erat enim iam
vespera) & facta est multa lætitia, & luminaria
in ciuitate posita, ita vt & mulieres quoq; adolen-
tes thymiamata cum thuribulis nos præcederent.*
Cur nõ aliquis Caluinisticæ Ecclesiæ hanc
idololatriã in Africa, Gallia, Asia dãnauit,
carpsit, aut vituperauit? sacras reliquias ve
neramur thure incẽso, & cereis: quia San-
cti his corporibus præluxerunt hominibus, tanquam luminaria mundi, *Lucetis,* Philip.2.
(ait Apostolus) *sicut luminaria in mundo*: & 2.Cor.2.
fragrantissimum bonæ vitæ odorem sparserunt vbique, cum beato Paulo, *Christi bonus odor sumus Deo.* Coram illis genua flectimus: vt quanto nunc Sancti nos gloria superent, testemur. Circumferimus: tum vt ex earũ præsentia aliquid de ipsarum sanctitate participemus: tum vt nos, familiásque nostras, totámque Rempub. Sanctorum precibus & auxilio commendemus. Ostentamus adorandas: hoc est, honore, qui ipsis conuenit veneraudas,

Quid porrò addis? *Nec denique prætermittitis quicquam, quod idolis suis Ethnici detulerunt.* Est splendidum, & palpabile mendacium. Non enim eis sacrificamus: non eas oramus, aut inuocamus. Nemo vnquam dixit, *Sancta ossa, orate pro nobis*: sed ante suas reliquias rogamus Sanctos, quos in sacris corporibus suis honoramus.

HÆRETICVS.

Ostende, si potes, talia vestrorum Sanctorum esse miracula: qualia Seruatorem nostrum edidisse constat: & pari honore amplectenda agnoscemus.

COSTERVS.

Christus ab hominibus eiecit dęmonia. Hoc sæpè B. Benedictum fecisse refert B. Gregorius. Cæterùm B. Augustinus de domo à dæmonibus liberata, sic scripsit: *Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Cabedi appellatũ, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam malignorum spirituum noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros (me absente) Presbyteros, vt aliquis illorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orãs quantum potuit, vt cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessauit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Ierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertia resurrexit, eámque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur.* Nota 1. Sacrificio corporis Christi domum infestatione dæmo

Dia. cap. 30. de ciui.

monum liberari. 2. Terram ſanctam in cubiculo cõtra dęmonis moleſtias ſuſpendi. Chriſtus variis morbis afflictos nunc verbo, nũc manuũ attactu, nunc ſaliua, nũc luto, & ablutione liberauit: ſicut eius Apoſtoli oleo, vmbra, ſudariis, ſemicinctiis. Similia præſtiterunt Sancti noſtri: de quibus multa ſancti Gregorius Papa & Gregorius Turonenſis: & poſteriores Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Vincentius, Valentinus. Chriſtus mortuos ſuſcitauit: idem de S. Benedicto, & aliis ſcribit D. Gregorius. S. Dominicus tres excitaſſe legitur. S. Franciſcus longè plures. S. Vincentius Dominicanus infantem in fruſta ab obſeſſa matre ſectum (quæ partẽ vnam igni aſſarat) collectis membris, reſtituit vitæ. Hæc porrò vos in fabulis habetis. At quibus fides habenda eſt potius: an vobis hæreticis, qui nec Deo, nec eius Eccleſiæ creditis, & qui tot ſæculis ab illis eſtis remoti: an illis viris, qui vel oculati teſtes eſſe poterant, vel non procul ab eis aberant? Geſta S. Bernardi ſcripſerunt Gulielmus Abbas S. Theodorici, & Bernardus Abbas Bonevallis, S. Bernardi ſocij. A temporibus B. Franciſci non procul abfuit S. Bonauẽtura, vir doctiſſimus, grauiſſimus, atque ſanctiſſimus: qui etiã ipſe, tum viuus, tum defunctus, claruit miraculis. Scripſit enim eius admirabilia geſta, quadrageſimo anno poſt ſancti mortem. Sicut Petrus Rauſanus 35. anno ab obitu

Libr. D. L.b. de Patrum gloria cor martyrur Lib. 2. Di cap. 32. Lib. 3. cap 33.

S[illegible]n

S. Vincentij. Nota erat tunc passim omnibus vita eorum: neque defuissent qui eos arguere potuissent mendacij, si quid ab eis supra veritatem scriptum esset. Et sanè si quis tũc Caluinisticæ doctrinæ orthodoxus extabat, illi ex charitate incumbebat mendacia refellere: & non ad vos eorum refutationem remittere. Denique Christus Lazarũ quatriduanum de sepulchro, iam fœtentem & & vermibus scatentem, in lucem reuocauit. Nota est toti Orbi historia S. Stanislai Episcopi, qui martyrio coronatus est, circa annũ Domini 1080. Is enim Petrũ quendam triennio mortuum, cum triduo ieiuniis & orationibus vacasset, post oblatum Deo Missæ sacrificium, aperto sepulchro, spectante vniuerso populo & Ministris regiis, in Christi nomine euocatum, iussit coram rege Boleslao testari, de agro à se vendito, & precio ritè ab Episcopo persoluto. Huius miiraculi non confícti, sed verissimi [illegible]is est Polonia: & non pauci fide digni scriptores.

HÆRETICVS.

Christus dum sic loquitur: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: an indicare voluit, ad nouam doctrinam inducendam, miracula esse necessaria. An igitur doctrina CHRISTI [illegible]ua, quam ex Mose probat, & ad sacras *mali* [illegible]s examinari iubet? corpo[illegible]

COSTERVS.

[illegible] dubitat, Christi legem & doctrinam

nam fuisse nouam? Noua mandata, noua sacramenta, noua politia, nouum sacrificium, denique omnia noua: sed veteri lege prænũciata, & variis ceremoniis adũbrata. Ideo enim Moysen & Prophetas adduxit dominus: vt à se completa monstraret, quæ ipsi Dei spiritu prædixerant. Attamen non tantam cernas in lege Christi nouitatem, quantam in lege Caluini Christus lege sua perfecit veterem: Caluinus Christi legem euertit. 1. Apud Iudęos erat vnus Summus Sacerdos. 2. Alij sacerdotes carnali propagatione ad Aaron suã deducebant originem. 3. Erant illis sacrificia bestiarum: quæ & proprietatibus suis Christi virtutes, & sanguinis effusione genus mortis eius indicabant. 4. Erant vestes sacerdotales, & Pontificum ornatus. 5. Erant altaria & templum auro argentóque ornatum: cui neque sculptæ aut fusæ, neque pictæ imagines deerant. 6. Mandatum erat summi sacerdotis decretis obtemperari: *Qui superbierit*, inquit, *nolens obedire sacerdotis imperio: qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferet malum de Israel.* 7. Non deerãt filij Prophetarum & Rechabitæ, prænuncij Monachorum, & mulierum conuentus iuxta templum Domini instar monialium nostrarum. 8. Stata erant iiij. tempora ieiuniorum. 9. Habebant suas orationis horas. *Septies* (ait Dauid) *in die laudem dixi tibi.* Et Apostoli orabant hora 3. 6. & 9. sicut in Actis Apostolicis l[illegible]

Deut. 17.

Ierem. 35. Exod. 38. Zach. 8.

Psal. 118. Act. 2.

10. A certis cibis abstinebant. 11. Sacerdotes vicis suæ tempore, castitatem seruabãt. 12. Sua celebrabãt cõcilia de prophetis, de lege, de Rege, aliisque, quæ ad illam Gentem & tempora pertinebant. 13. Arca Domini, in qua manna, duæ tabulæ decalogi, & virga Aaron asseruata erant, nonnunquam solẽni ritu deferebatur. 14. Ante hãc arcam prostrati adorabant Deum, quasi in throno super propitiatorium sedentem. Et, ne longum faciam, cum lex illa diuina sapiẽtia lata esset: multa habuit, quæ ex Apostolorum traditione Ecclesia retinuit, atque ad sua tempora perfecit, mutauit, & accommodauit. At Caluini lex proiicit, conculcat, & euertit omnia. Nullus summus Põtifex, nulli sacerdotes, nullę vestes sacræ, aut sacrorũ ornamenta, nullum sacrificium, nullum altare, nullæ imagines, nulla Collegia religiosorum aut Monialium, nulla stata ieiunia, nisi Prædicantium arbitratu, nullæ preces [illegible]icæ, nulla prædicantium ab vxoribus continentia, nullæ processiones. Denique nihil nisi sola fides: quæ illis in locum omniũ successit. Anne dices hanc magnam esse Religionis mutationem?

HÆRETICVS.

Patienter fero, fideles Christi serui, quod Christi Domini nostri doctrinam, nouam appellant: vestram similiter, quam ex sacris literis à Christo accepistis, nouitatis

COSTERVS.

Agnoſce Sophiſtam. Dixi, Chriſti doctrinam & legẽ, cum ipſe inter homines viueret & doceret, nouam fuiſſe: Hinc colligit, etiam nunc à me, poſt 1500. annos nouam dici. Quid ſi mihi dicat aliquis: Ante annos ſeptuaginta puer eras: Rectene inde efficies, me etiamnũ puerũ eſſe? Viden, ô hæretice quibus tricis miſeros auditores tuos inuoluas? Adhortaris eos ad patientiam, quod à me nouitatis accuſentur: nr elius ad reſipiſcentiam. Quia ſi noua eſt doctrina veſtra, nũquam eſt vobis à Chriſto tradita. Si mentior, ede qua via ad vos peruenit: quo in loco his 1000. annis delituit. Reſpõde, ſi potes: & deſine agere Sophiſtã Rhetorem: qui dum quod reſpõdeas deeſt, ad lamenta & patientiam tranſis. Dico doctrinã tuam non eſſe Chriſti, ſed Caluini: non orthodoxam, ſed cacodoxam: non verbum Dei ſed verbum diaboli: non Euangelium, ſed Euangelij euerſionem, & ſomnia Caluini. Indignaberis (ſcio) hæc legens: ſed etiam ego indignor, quod ſemper Euangeliũ te à Chriſto accepiſſe iactes, & qua via & modo ad te id peruenerit, nulla vel ſucceſſione, vel diuino iudicio cõprobare poſſis, neque vllam adducere rationem, quam pro ſe etiam Anabaptiſtæ, vel alij hæretici proferre nequeant. Omnes enim hæretici hoc paralogiſmo ſua dogmata cõfirmant. Quicquid ſacræ literæ docent, certiſſima

fide

fide credendum est: Doctrinam nostram docent sacræ literæ: Est ergo doctrina nostra certissima fide tenenda. In hac ratiocinatione duplex ab ipsis cõmittitur vitium: Prius, quod persuasũ velint omnibus, propositionẽ à nobis negari: quasi literas sacras partim reijciamus, partim ad humanas traditiones reformãdas dicamus. Qua in re splendidissimè mentiuntur. Cum nemo sit, aut fuerit Catholicus, qui non & certissima fide scripturis adhæreat: & ad eas collimet omnium Patrũ scripta, & dicta, omnemq; Ecclesiæ consuetudinem & humanas traditiones. Alterum, quod Assumptionem, tanquam pro axiomate tradant: neque de ea à quoquam dubium moueri velint, tametsi sit & falsissima, & mẽdacissima, & diabolica. Cùm enim hæretici pugnantia doceant: aliter Lutherani, aliter Caluinistæ, aliter Anabaptistæ, aliter Ariani, Nestoriani, &c. quî fieri potest, vt in omnibus verũ sit, doctrinam eorũ sacris literis cõtineri? Hoc igitur nos in singulis hæreticis inficiamur atque à singulis postulamus huius Assumptionis proferri rationem, quam nullus aliorum queat adducere.

HÆRETICVS.

Deinde verò fœdus est error, quod nouã doctrinam in Ecclesia Dei miraculis confirmari posse dicis.

COSTERVS.

Nõ solum dico, posse sed etiã debere. Bis mutata est in Orbe Religio: 1. post Legẽ naturæ,

turæ, per Legẽ Moſis. 2. Poſt Legem Moſis, per Legẽ Chriſti. Vtrobiq; adfuêre miracula: quæ, cum diuina authoritate mutationẽ fieri, ſeu diplomate, teſtarentur. Moſes id ſenſit cum Deo mittenti diceret: *Nõ credẽt mihi, neq; audiẽt vocẽ meã, ſed dicẽt, nõ apparuit tibi Dñs* (Sicut nunc vobis dicimus: Nõ miſit vos Dominus) Tũ Deus in miſſionis teſtimonium dedit ei miraculorum edendorum poteſtatem. Eodẽ modo Chriſtus Iudæis: *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Vides neceſſitatem miraculorũ, & quidem certorũ, in Religionis mutatione? At negas quod mundus vniuerſus nõ modo oculis cernit, & manibus palpat, ſed etiam lachrymis deplorat, mutationem à vobis fieri: Fateor nõ fieri à vobis mutationem verborum Euangelicorum, ſed ea verba ad tam nouos ſẽſus [illegible]ci & torqueri, vt ex Chriſti Euangẽlio ſit quintum Caluini Euangelium, & doctrina dæmoniorum, quæ euertit, quicquid iam 1500. annis ab Apoſtolis acceptum retinemus. Exod. 4. Ioan. 10.

HÆRETICVS.

Nos cõtra, ſi vel mille ad nouam doctrinam ſtabiliẽdam proditẽt miracula, Pauli, immò Spiritusſancti ſententiã opponimus: Etiam ſi nos, aut Angelus è cælo euangelizet vobis præter id, quod vobis euangelizauimus, Anathema eſt.

[illegible]TE

COSTERVS.

Existimabam mihi negotium fore cũ viro docto, Professore Theologo: at video te non nisi Sophistam & Loquutuleium agere, & ineptè multa congerere, vt nos in odiũ indoctorum trahas. Ego dixi, in omni mutatione religionis necessaria miracula, quę ex Dei mandato hanc mutationem instituí declarent. Tu inde colligis, me nouam mutationem religionis admittendam docere, quando illa confirmari possit miraculis. Erras Sophista. Non hoc dico, sed affirmo, à Christi morte, & in cælos ascensione, nullam fore in Dei Ecclesia mutationem religionis, ad finem vsque sæculi. Et quia docui omnem mutationem eiusmodi non sine miraculis fieri debere: ex eo efficio, vestram hanc summam, quã in orbem induxistis, mutationem neque à Deo esse, neq; ex Dei verbo, nisi à vobis corrupto. Quia nullo diuino iudicio huius faciendæ authoritatem penes vos esse demonstratis. Mutationem à vobis fieri, constat, contra Beati Pauli doctrinam, eiusque Euangelij, quod accepimus, miracula non fieri, certum est, quæ tamen necessaria sunt, quando diuino mandato Religionis fit mutatio. Quid inde? nisi quod mutationes vestræ sint impiæ, sacrilegæ, diabolicæ. Quibus est Paulinis verbis occurrendum: *Etiamsi Angelus de cælo veniat, & euangelizet præter id quod accepistis, Anathema sit.* Et Christi: *Surgent Pseudochristi & Pseudo*

Pseudoprophetæ, & seducent multos. Et hactenus de Antithesibus.

CIRCA CAPVT. XV.

De ratione agendi cum Hæreticis.

HÆRETICVS.

MAgnum est, fateor, inter hæreticum, & eum, qui credit hæretico, discrimen: sed illud indignissimis modis à Romana Ecclesia violatur. Nam primum hæreseos crimen non ad sacras veteris & noui Testamenti tabulas, (sicut fieri oportebat) sed ad humana Pōtificum vestrorum placita, examinatis. Vnde veritatis cælestis assertores laudatissimi, qui ad verbi Dei normam doctrinam vestram reformare student, infami hæreticorum nomine onerantur à vobis, & suppliciis à veritatis propugnatione deturbantur.

COSTERVS.

Quid hic nō de vobis, Anabaptistis & discipulis Serueti, (quem Caluinus vester flāmis exussit) dici potest? Queruntur, se infami nomine hæreseos onerari, & à veritate turbari: idē olim questi Donatistæ; & quēri poterāt Ariani, Nestoriani, & cætera hæreticorū colluuies. Prius doce, Caluinistas hæreticos non esse, sed orthodoxos & Catholicos:

tholicos, ratione aliqua, quam pro se prędicti adferre nequeant: tum querelę tuę locũ dabimus. At quia id nunquam poteris, manebit vobis infame nomen hæretici: quo non est grauior in Orbe nota.

HÆRETICVS.

Deinde non solùm Doctores, qui à Doctrina vestra recedunt, sed eos etiã qui illis fidem aliquam habent, immò verò vel tãtillum fauoris demonstrant, hæreticorum numero accensetis, & trucidatis.

COSTERVS.

Splendidũ mẽdacium. Illos enim solùm inter hęreticos censemus, qui cum pertinacia tuentur hæresim, neq; eam, etiam cõuicti scripturis & rationibus, deserũt. Ego id te melius noui, q ROMę ab inquisitione rogatus non rarò cum id genus hominibus egi. Non soli Doctores inter hęreticos numerari solent: sed qui vobis cum pertinacia adhærent, fidemque Catholicam, quam in Sacramento Baptismatis professi fuerant, abijciunt. Meritò catholici de Ang[illegible] senatu queri poterant, quando is erat læsæ maiest. reus, qui vel tantillum penes se haberet, à summo Põtifice benedictum. Qua de re plura in demonstratione catholicæ propos. veritatis, posterioris editionis.

HÆRETICVS.

Dominicus Bãnes vester sic ait: Inquisitores hæreticæ prauitatis procedunt ex præsumptione, & tenentur punire vt hæreticũ eum, qui ex dictis vel factis, cõuincitur esse hære

hæreticus: etiamsi reuera non sit hæreticus.

COSTERVS.

Præsũptio erit grauis, sicut in omni iudicio criminali. Nã si quis multorum testimonio cõuincatur adulterij, vel homicidij, vel alterius flagitij, à iudice punietur. Ita si quis cum aliorum offensione hæretica dogmata vestra propugnet, aut doceat, cum aliter sentiat: (sicut Thomas Thieldius vester, apostata, Monachus S. Bernardi, quem ego pro sua insciria, nunquã crediderim ex animo vobis assensum esse, sed propter carnis libertatem vobiscum hæsisse, vt non rarò id ei exprobrare soleo) vel hæreticum aliquod facinus aggrediatur, confringat sacras imagines, Sanctorum reliquias in ignem inijciat, sacrum Christi corpus pedibus calcet, &c. quidni puniatur ille quocunque tandem id animo prauo, licet non hæretico, faciat?

HÆRETICVS.

Idẽ Bannes scripsit, deceptum esse Siluestrum [illegible]rbo, hæresis, vbi ait necessariam esse temporis diuturnitatem & perseuerãtiam aliquã, vt quis dicatur pertinax. Obserua Pontificiorum Doctorum consensũ.

COSTERVS.

Hæc fidẽ non attingunt, sed opiniones: quas pro suo cuiq; iudicio sequi licet. Vestræ dissensiones sunt de fidei rebus, de sacramẽtorũ numero, de adoratione Eucharistiæ, de iustificatione, deque dogmatibus maximi momẽti, quę vniuersa Ecclesia pro fidei

fidei articulis iam 1500. annis credidit.

HÆRETICVS.

Eodem pertinet, quod postea subijcit: *Si quis dissentit alicui propositioni, siue vera sit, siue falsa, neque pertineat ad fidem: erit tamen hæreticus, si putat oppositum eius, quod ipse sentit definitum esse ab Ecclesia: quia tunc habet errorem pertinacem: scilicet non est in vniuersum verum, quod definitur ab Ecclesia de fide.*

COSTERVS.

Rectè scripsit & doctè: quem tu ineptè & indoctè rides, Nunquam legisti, *Omne quod* Rom. 14. *non est ex fide peccatũ est?* Hoc est, (iuxta cõmunem Græcorum & Latinorum expositionem) Quod contra conscientiæ dictamẽ facis, existimans esse peccatum, tametsi reuera nullum sit: hoc ipso efficitur peccatum quia voluntas vult id omittere, quod intellectus iudicat esse peccatum: quod est, velle peccare. Vnde est Theologorum axioma: *Conscientiam semper ligare, etiam erroneam.* Sicut igitur mortale peccatum committit, qui rem aliquam leuem facit, vt est, ludere, ambulare, aut quid simile, in quo nullum est peccatum: existimans, sibique persuadens, id esse à Deo, sub interminatione æternæ damnationis, prohibitum, vt sunt peccata mortalia omnia. Ita qui vxorem suam cognoscit, credẽs se rem habere cum alia, adulter est: & qui rem propriam tollit, putãs esse alterius, fur est: quia

ille

ille animo adulteratur, & hic voluntate furatur. Sic est hæreticus qui propositionem, alioqui Catholicam, veluti, Christum esse ὁμοούσιον Patri, existimans aduersari sacris literis, pertinaciter tueri decreuit: quia statuit non credere, sed repugnare verbo Dei. Hæc si ignoras, profectò indoctus es doctor. Quia porrò Dei verbum dicit, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, aduersus quam portę inferorum non prævalebunt: & quam qui non audit, vitandus sit vt Ethnicus & Publicanus: si quis firmiter, & cum pertinacia eam contendit in fide errare posse: aduersatur Dei verbo, & hæreticum dogma propugnat. 1 Timoth. 3 Matth. 18

HÆRETICVS.

Vt minus peritum Lectorem, ad Pontificiorum hæreses superandas, instituas: nihil ad eam rem præstantius est, quàm vt eorum absurditas, & quàm graues errores indè necessariò consequantur, Aduersarij naribus, & auditorum auribus inge[illegible]

COSTERVS.

Romana Ecclesia hæresim nunquam docuit: & Catholicus, qui ea credit, quæ vbique, semper, & ab omnibus credita sunt, hæreticus appellari nequit: hoc nomen in eos conuenit, qui ab hoc corpore se præciderunt, atque à nobis exierunt. Conatur hæreticus absurditatibus & erroribus nostris in lucem productis, Ecclesiam risibus exponere imperitorum. At Ec-

ecclesia, pro sua sanctitate, nihil absurdi habet: nec eam pudet vel doctrinæ, vel cæremoniarum, vel vllius Ecclesiastici officij: vt quæ omnia sua palam exercet, & scriptis libris toti mundo legenda proponit. Percurrit decẽ præcepta Decalogi, quæ à nobis violari queritur: tum 12. fidei articulos, in quos ait, nos peccare: deniq; sacramenta, quæ calumniatur à nobis corrumpi. Breuiter singula attingemus.

HÆRETICVS.

Indignè sacrarum literarum authoritatem humanis traditionibus componunt, immò postponunt.

COSTERVS.

Mendaciũ: Apostolicas, nõ humanas traditiones æquamus Scripturis. Quia sunt Dei verbũ, scriptũ in corde Ecclesiæ, digito Dei: vt ex Ieremia testatur Apostolus Paul⁹. Et vnde nosti, scriptas literas esse Dei verbum, nisi ex hac Apostolica traditione?

ebr. 8. rem. 31.

HÆRETICVS.

Primum & secundum præceptum Decalogi idolatria sua infringunt.

COSTERVS.

Mentiris: Proba, si potes.

HÆRETICVS.

Horrendis incantationibus salẽ, aquã, & alia magiæ instrumenta, exorcizant.

COSTERVS.

Hæreticis, quos dæmon possidet, istæ sunt magicæ incantationes: non Catholicis. Alioqui profer, qui primus creaturis benedixit.

HÆRE

HÆRETICVS.

Multos in Sanctorum ordinem retulerunt, qui nunquam extiterunt.

COSTERVS.

Mentiris: profer vnum.

HÆRETICVS.

Iis festa, templa, altaria consecrarunt.

COSTERVS.

Non templa, sed basilicas: nec altaria: sed memorias: Festa, quid ni? & quis primus?

HÆRETICVS.

Varios religionum modos, & diuersos Ecclesiæ Ministrorũ ordines instituerunt.

COSTERVS.

Quis primus? Nam etiam S. Ignatius, B. Ioannis Apostoli discipulus, horum ordinum meminit. Vt & Clemens Romanus discipulus Beati Petri. Et post eos, Cornelius Papa & martyr, temporibus B. Cypriani Concilium 4. Carthaginense, cui aderat Beatus Augustinus, ritum singulorum Ordinum, qui etiamnum obseruatur, describit. De taxis & Annatis superiùs responsum est. F pist. 9. Lib 8. con Apostolic

HÆRETICVS.

Magistratus, patriæ Patres, à Pontificibus non solùm debito honore, contra 5. præceptum, fraudantur, sed etiam ad pedum oscula, & nonnunquam ad conculcationem detruduntur.

COSTERVS.

Abusus cõculcationis improbatur: osculum pedum antiquissimum est. vt superiùs docui. Et quid ni Principes honore

ficem, pastorem suum? Audi B Ignatium:
Epist. 9. *Presbyteri, Diaconi, & reliquus Clerus, vni tam populo vniuerso, militibus, Principibus, & Cæsare, ipsi Episcopo pareant.*

HÆRETICVS.

Sanguis dissidentium à doctrina Pontificia, contra 6. præceptum effunditur.

COSTERVS.

Ita statuerunt olim Imperatorum leges: vt hæretici, omnium mortalium nocentissimi & pessimi, iustis pœnis cohibeantur. Quid culpas in Ecclesia, quod Caluinus vester cum Serueto fecit?

HÆRETICVS.

Sacerdotum & Monachorum cœlibatum Matrimonio præferunt.

COSTERVS.

Quis primus?

HÆRETICVS.

Scortationem eorum matrimonio meliorem esse affirmant, cõtra 7. præceptum.

COSTERVS.

Non matrimonio vero, quod apud Monachos & Sacerdotes nullum esse potest, sed falso & prætenso: Sicut minus malum est, Maritum scortari, quàm viuente vxore alteram ducere.

HÆRETICVS.

Contra 8. præceptũ, Monachi & Sacerdotes non dant Cæsari, quæ Cæsaris sunt.

COSTERVS.

Quia hoc eis Cæsares suis Legibus donarunt. Vide Codicem Iustiniani, titul. de Episcopis & Clericis. De regnis translatis

supe

superius diximus.

HÆRETICVS.

Perfidè fidem datam, cum ipsis vtile est, violant: & impudenter, fidem hæreticis nõ seruandam, contra 9. Dei præceptũ, Concilij Constantiensis authoritate definiunt.

COSTERVS.

Fidem à se datam Ecclesia non violat. Sed Constantiense Cõcilium decreuit: *Per saluũm conductum ab Imperatore, aut alijs secularibus Principibus datum hæreticis, nullum* sect. 11 *præiudicium fidei Catholicæ, vel iurisdictioni Ecclesiasticæ generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere: quo minus, dicto saluo conductu non obstante, liceat Iudici competenti & Ecclesiastico de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debitè procedere, eosdémque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint.* Falsum est igitur, Patres definiuisse, hæreticis fidem non seruandam. Sed cum Imperator [redacted] præsit, verùm subsit Concilio, non tenetur eius pactis Concilium: sicut neque superior pactis conuẽtis subditi fui. Omitto violatas fuisse ab Hussio conditiones, quas scripto pepigerat cum Imperatore Sigismundo, qui ei periculo capitis interdixerat fugam. Clam enim se Constantia proripuit, vectus curru D. Henrici Latsebock, qui rus pro stramínibus, fœno & auena educebatur. Hieronymo Pragensi nullus fuit datus à Cæsare saluus conductus. Quin potius ipse in se sententiam

protulit, in Palinodia, quam in Patrum conſeſſu his verbis recitauit. *Si ego ipſe aliquãdo (quod abſit) aliquid cõtra ſentire, aut prædicare præſumpſero, Canonũ ſeueritati ſubiacebã, & 15. & æternæ pœnæ obligatus inueniar.* & elapſus eſt: & à ſe latã ſententiã tulit: quid mali? Patres Concilij Tridentini accuſari potuiſſent fidei violatæ, qui ſaluum conductum Proteſtantibus omnibus detuleruntꝫ. Sed miſeri hæretici, ſuæ ſibi ignorantiæ conſcij metus prætextu ex Conſtantienſi exemplo, domi ſe continuerunt. Non enim in conſeſſu illo tot doctiſſimorum Virorum, audebat quiſquam eorum mutire, & ſuam inſcitiam atque ineptias prodere.

HÆRETICVS.

Concupiſcentiam prophanè, contra 10. præceptum, & Apoſtoli definitionem, Cõcilio Tridentino, peccatum eſſe negant: & ſecus ſentientes anathemate feriunt.

COSTERVS.

Mendacium. Nam concupiſcentiam, quæ Decalogo cauetur, agnoſcimus peccatum: nimirum, voluntate concupiſcere: non autem præter voluntatem concupiſcentiam ſentire. Siquidem à voluntate committitur peccatum, non à ſolo ſenſu: vt ſæpè docet Beatus Auguſtinus. Et hîc quid mali, aut abſurdi? Hactenus de Decalogo.

Cæterum priuſquam ad ea veniamus, quæ

quæ de articulis fidei profers, examinanda erit doctrina vestra, ad eadem decem Dei mandata: quæ nostro more & numero recensebimus, non vestra nouitate.

In *primum* præceptum grauissimè peccatis, qui Deum vestrum in S. Eucharistiæ sacramento neque adoratis, neque adorari permittitis: Adeoq; innumeris conuitiis & agnominibus afficitis, Ioannis albi, Ioannis inclusi, Ioannis captiui, Dei impanati, Dei Baal: sicut tu in hoc tuo libello. Hostiam sacram galeris affigitis, in terram proiicitis, pedibus conculcatis, canibus cum antiquis Donatistis obiicitis, & variis modis irridetis. Quid amplius in Christi corpus fecerunt quondam Iudæi irrisores? Tametsi enim Christus iam immortalis neque moriatur, neque patiatur: hoc tamen non leuius reddit flagitium vestrum: cum impatibilitatem à se habeat, à vobis nocumentum.

Dices, ex fide tua, non adesse Christum in Eucharistia. Respondeo, non ideo non adesse, quia hoc fides vestra non credit: cùm id totus orbis credat. Non excusantur Iudæi, quod ignorantes Christum Deum esse, eum post multa tormenta necarint: (*si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, ait Apostolus.) Nam post tot miracula & vaticinia Prophetarum, credere debebant. Attamen illi præ vobis sunt magis excusabiles. Pauci enim eo tempore Dominum Iesum in promis- 1. Cor. 2.

sum Messiam aut Christum recipiebant: pauciores eius dogmata admittebāt, pauciſsimi eius diuinitatem agnoſcebant. At iam amplius 1500. annis non in Iudæa tantum, ſed per vniuerſum mundum, non ſolùm à rudi populo, ſed ab omnibus Christianis, doctis pariter atque indoctis, nobilibus, ignobilibus, principibus, plebeis, ſenibus, iuuenibus, denique nemine excepto, ab omnibus agnitus eſt & adoratus CHRISTVS Deus in Euchariſtia. Quale ergo portentum & monſtrum eſt Caluiniſta: qui, mundo iam tot ſæculis credente, non credit?

In *ſecundum* præceptum peccant Apoſtatæ Monachi, & fœdifragi Sacerdotes: illi, quod vota Deo publicè nuncupata, reſcindant: iſti, quod ſacrilegis nuptiis promiſſam Caſtitatem violent.

In *tertium* peccatis, Quod dies feſtos abrogatis: Miſſæ ſacrificium, quod illis diebus Chriſtiano more audiendum erat, exterminatis. Omitto, quod Caluinus eſter Dominicum diem in diem Veneris transferre molitus ſit. De quo Poëta quidam, eius quondam condiſcipulus, hoc epigrammate.

Vult transferre diem Caluinus ab ordine feſtum,
Quem Domino aſſcribens hebdomas omnis habet.
Vtq; dies Veneris tali potiatur honore,
Facta inter ciues ſeditione, iubet.
Vtere Caluino Germania tota Magiſtro:
Sit licet inſanus, non ratione caret.

Tu

Tu dominæ Veneri dominum postponis Iesum,
Iure huius festum vendicet illa sibi.
Hoc verbis persuade igitur, Caluine, vel armis:
Si Veneri faueas, Mars tibi fautor erit.

Quartum præceptum transgredimini, qui adeò Ecclesiam Christi sponsam, non agnoscitis Matrem, neque Christi Vicarium B. Petri successorem, patrem, vt vos multis conuitiis blasphemetis: illam Babylonicam meretricem, hunc ipsissimum Antichristum appelletis. Quomodo hanc iniuriam vlturus est Christus? Non enim ex vestra incredula fide, sed ex ipsa veritate vos iudicabit. Quosque alienos ab Ecclesia matre, suóque vicario, pastore ouilis sui à morte conspexerit, deturbabit in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium: Ridetis licet nunc, & vos noua fide vestra palpetis. O æternitas, æternitas: quanta amaritudine afficies blasphemos Caluinistas?

Quintum præceptum cauet homicidia. At per Caluini hæresim quot millia Christianorum interierunt? Quot occisi martyres? quot in bello cæciderunt? Vos qui Euangelium, & Apostoli doctrinam plenis buccis perpetuò iactatis, cur fidem vestrã Apostolico more, non bellando, sed patiẽdo: nõ occidendo, sed moriendo, plantatis?

Qui in *sextum* Dei mandatum peccant, sunt, præter cæteros, principales Caluinisticę cohortis, Apostatas dico Prædicantes: qui sacrilegas Monachorum & Sacerdo-

tum nuptias legitimo matrimonio comparant: Et illi quoque omnes qui contra D.Pauli doctrinam matrimonium de numero Sacramentorum expungunt: Spurios igitur gignunt filios extra magnum Sacramentum natos.

Septimum prohibet aliena tollere. At, Deus bone, quot apud vos furta, quot rapinæ, quot sacrilegia? Vt enim omittam, quod cum Albanēsibus, damnatis ab hinc 800. annis hæreticis, atque Iudeis vsuras iustificetis: Quis est immunis à crudeli rapacitate vestra? Regem spoliatis ditionibus suis, Monachos exigitis Monasteriis suis, Ecclesiastica bona in hæreticos Prędicantes confertis. Catholicorum domos & opes inuaditis, iniustissimo bello aliena diripitis, maria infestatis, itinera obsidetis, iniquissimis contributionibus miseros rusticos ad inopiam redigitis, grauissimas exactiones à ciuibus, ad iniquum in legitimū suum Principem bellum exercuetis. Heu quantarū rationum & restitutionum rei erunt, cum singuli his furtis obnoxij: tum maximè Reipumpub. Primores qui imperant, & Synagogarum vestrarum Capita, qui instigant?

Octauo præcepto vult Deus, vt proximi nomen, famam, honorem tueamur. Quid vos, tum in Cathedris vestris: tum famosis libellis, nisi conuitia, calumnias, mendacia in Pontificem, Cardinales, Episcopos, Monachos, cæteramque Clerum? Quid

Quid non malitiosè confingitis vt viros bonos suis sedibus pellatis: Quid in Iesuitas intentatum relinquitis: vt nos omnibus exosos reddatis? Sed hoc hæreticorũ proprium est, persequi, à quorum sibi eruditione & innocentia metuunt.

De nono & decimo præce, tis, *Non concupisces*, hoc vnũ ex vestra confessione dico, id à vobis neque seruari, neque seruari posse. Semper concupiscitis, & aduersus hanc Dei legem, nunc carnalia, nunc aliena petitis. Quis ergò miretur vestra furta & rapinas, & incontinentiam vestram, quibus sic innata est concupiscentia: vt neque libero arbitrio, quo caretis: neque diuino præcepto, *Non concupisces*: neque interminatione gehennæ, quę trãsgressores manet, cohiberi possit? Nemo in posterum queratur apud vos exulare Monachos, Virgines, cælibes: quibus impossibile est, non concupiscere. Et quis hinc non efficiet, infirmo aut absente coniuge aliam à marito, aut alium ab vxore introduci: præsertim in morbo vel absẽtia diuturniore? Quis putet apud vos virgines castas, aut iuuenes pudicos quibus concupiscentia, ob sanguinis æstum, magis feruet? Igitur ædes vestræ plenæ sunt scortis: & qui vxorem quærit, vix inueniat virginem. Quia præceptum, *Non concupisces*, à nemine seruatur aut seruari potest. Bone Deus itane nobis impossibilia præcepisti? Siccine graue est onus & iugũ tuũ, vt illud nemo queat atrolere? Atqui tu nos ad hoc iugum inuitas, exist::

iugum meum suaue est, & onus meum leue. Et Apostolus tuus: *Mandata eius grauia non sunt.* Dices forte de nouis his reformatoribus, quod olim de Pseudoprophetis: *Falsò vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & ipsi current: non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Ne attendatis ad somnia eorũ quæ somniant, quia falsò prophetant & mendaciter, vt eiciant vos, & pereatis tam vos, quàm prophetæ, qui vaticinantur vobis.* Non reformant Ecclesiam, sed deformant: non prædicant Euangelium Christi, sed Caluini: non colligunt cum Christo, sed spargunt cum diabolo. Nunc de 12. fidei articulis quid hæreticus dicat, audiamus.

HÆRETICVS.

In singulis ferè articulis fidei, Pontificiæ doctrinæ absurditas, & copiosa refutationis materia relucebit.

COSTERVS.

In his articulis primò à nobis absurditatẽ remouebo, Dei gratia: deinde in vos eam non magno negotio, aut labore, & ongè verius regeram.

HÆRETICVS.

Primum obiiciatur, quod contra primum fidei articulum, non in solum Deum credãt, nec eum solũ omnipotentẽ agnoscant: sed etiam Mariæ virgini & Sanctis, quos inuocant, genuinam hanc & propriã Dei gloriam communicent.

COSTE

COSTERVS.

Si preces petere, est ei, à quo petuntur, Dei gloriam communicare : sanè plures habuerit Deos B. Apostolus Paulus, qui Collossensium, Thessalonicensiũ, Hebræorum, & Timothei preces, orationes, obsecrationes, & postulationes, rogauit. Cur non omnipotentem vocas Paulum, qui omnia potuit in eo, qui se cõfortabat? Pudeat insciti æ tuæ, Doctor hæretice. Coloss. 4. 1. Thessal. 2. Thessal. Hebr. 13. Philip. 4.

Vos autem Deum negatis omnipotentem : qui ei adimitis potentiam duo corpora eodem loco constituendi, aut vnum duobus locis. Negatis, contra scripturam, Christum clauso virginis vtero natũ, clauso sepulchro à mortuis surrexisse, clausis ianuis ad Apostolos introisse, clausis cælis ascendisse: & iam in cælis corpore cũ sanctis versari, & idem corpus hic in terris Sacerdotum manibus tractari, Christianorum ore sumi, & tot locis asseruari.

HÆRETICVS.

Ostendatur deinde, eos nomine quidẽ filium Dei esse Iesum, id est, Seruatorem & Dominum nostrum confiteri : sed reipsa vtrũque honorem soli Christo cõuenientem, contra secundum fidei articulum, Virgini Mariæ & Sanctis arrogare.

COSTERVS.

Indoctum & malitiosum mendaciũ. Iesus Christus vnicus est, non solùm Seru-

tor vt tu: sed etiam Saluator, vt nos Christiane loqui non erubescemus. Est dominus noster vnicus: tum quia: vt Deus nos de nihilo creauit: tum quia solus, vt Deus homo sanguine suo nos redemit & emit. Virgo MARIA est conserua nostra, si Christum spectes: est domina nostra, si priuilegium Maiestatis. Iosephus à scriptura dicitur Saluator mundi: & B. Paulus monet Timotheum, vt seipsum saluum faciat, & eos qui ipsum audiunt. Deus veteri populo dedit Saluatores: idque sine præiudicio suo: qui non suis: sed Dei viribus seruabant & saluabant. Cur non similiter Mater Dei Cælorum regina, sit Saluatrix nostra, filij sui potentia & auxilio, quod suis precibus impetrat Christianis? Audi hæretice, Tanta est Sanctorum, & præsertim Deiparæ virginis Mariæ gloria: vt nihil nobis conferre possit homo diuitiis, honore, potentia, sapientia, industria: quod non possunt ipsi diuina & cælesti quam possident gloria. Itaque si hominis viuentis orationes petis, si rogas à diuite eleemosynam, à potente aduersus hostes auxilium, à medico sanitatem, & sapiente consilium: cur idipsum à Sanctis petere non liceat? Nihil enim potest homo vermiculus, quod nō possit Sanctus, iam cum Christo regnans: cui Deus non tantum omne bonum ostendit, (vt Moysi promiserat) sed reuera tradidit quando eū constituit super omnia bona sua.

nes. 41.
imeth. 4
dit. 1.
idræ 9.

HÆRE

HÆRETICVS.

Martinus del Rio Iesuita, hoc blasphemo elogio librum suum Virgini Mariæ consecrauit: *D. Mariæ S. Dei genitrici semper Virgini, misericordiæ matri, Cælorum, terræ, maris, Reginæ: Catholicæ Ecclesiæ protectrici, hæresium expugnatrici, virtutum cunctarum speculo, Opt. Max. Patronæ, hoc de corollis multis coloribus sertum pancarpum vouit, pauxit, soluit Seruulus Martinus del Rius ætatis 41. & salutis humanæ 1596.* COSTERVS.

Quid hic blasphemum rodis, hæretice Mariomastix? An cum Nestorio *Dei Genetricem*? aut cum Heluidio, *Semper Virginem*? An *Matrem misericordiæ*? At mater est Christi, misericordię nostrę. Cui dauid *Misericordia mea & refugiũ meũ, susceptor meus, liberator meus*. An *Cælorũ, terra, maris reginã*? At cur coronata stellis duodecim sole vestita, Lunã calcat, & sedet à dextris Regis? Ante annos mille vocauit eam Andreas Hierosolymitanus Patriarcha *Humanæ naturæ Reginam*: & ante eum B. Athanasius, *Reginã*, cui omnes Angelorum hierarchiæ honorem deferunt, eamque prædicant. An *Ecclesiæ protectricẽ*? Sed si Michael Archãgelus Princeps est populi Dei, propugnator Ecclesię, quam dæmonum vexationibus & tentationibus liberat: Si de sanctis quadraginta martyribus licuit B. Basilio dicere, *O communes humani generis custodes, optimi curarum socij, apud Deum potentissimi*: Si teges à sacris literis nominantur *protectores*: si

Psal. 1. Apoc. Psal. 4. Hom. dorm. cap. 15. In laud. B. Virg.

Daniel. & 12. Apoc. 12. Michael.

& si (vt ait Sapiens) *corona inclyta protegit*: si *protegit sapientia & pecunia*: Denique si Imperator est Aduocatus & protector Ecclesiæ: qui in vindictam malefactorum, & laudem bonorum gladium portat. Quid derogatur Christo, si eius Matrem, Cæli terræque reginam, fatearis Ecclesiæ protectricem? Innumera miracula & exempla, hanc eius protectionem nos docent. Ipsa necem Iuliani Apostatæ, S. Mercurio Martyri (vt est apud Anphilochium) mandauit. Ipsa Nestorium in se blasphemum, vt Ecclesiam eius hæresi liberaret, immissis vermibus, qui impiam linguam corroderent, & aperta terra, quæ eum dehisceret, non sine miraculo interemit. Ipsa impurum Copronymum, Ecclesiæ Græcorum dedecus, variis morbis & tormentis confecit. Ipsa sæpè Constantinopolitanam vrbem sibi dicatam, ab hostibus tutata est: & nominatim anno 717. cum ipsorummet Saracenorum stupore, à quibus obsidione cingebatur. Ipsa Catholicis Imperatoribus Comneis Ioanni patri, & Manueli filio, huic contra Scythas, illi contra Pannonios insignes victorias dedit. Ipsa temporibus B. Dominici precibus iram filij sui ab humano genere auertit. Sed Caluiniſtæ has (vt vocant) fabulas rident. At Christiani hac protectrice gaudẽt, fruuntur, sibique gratulantur. Fortè tibi in hoc Elogio blasphemum est, *virtutũ cunctarum speciẽ*: At B. Amir. ante 1200. annos sic

scri

scripsit: *Talis fuit Maria vt eius vnius vitæ omnium disciplina sit.* Rodis fortassè *Optimam, Maximam*? Maxima sanè est, supra quam nihil est, nisi Deus: infra eam, quicquid non est Deus. vt loquitur Diuus Bernardus. *Quo pacto* (inquit Epiphanius) *beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit. Natura formosior est ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico: cui prædicandæ Cœlestis ac humana lingua minimè sufficit, imò verò nec Angelica. Gratiæ sanctæ virginis est immensa.* Si maxima & summa, ergo optima: Quia cœlestis dignitas non nisi ad sanctitatis gradum à Deo confertur. *Quantum gratiæ in terris adepta est*, (inquit Diuus Bernardus) *tantum & in Cœlis obtinet gloriæ singularis.* Vnde rectè S. Bonauentura: *Gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quod quicquid post Deum pulchrius, quid dulcius, quicquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.* Hic mouebitur formicæ bilis. Sed formica est, lacessens ridiculè generosum Leonem, & robustum elephantem. Displicet nomen *Patronæ*? At si domina, si hera, si Regina nostra, vt eam appellant veteres: cur non Patrona? Audi beatum Epiphaniũ: *Per te ô sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissoluit: per te pax cœlestis donata est mundo: per te illuminati sunt fines terræ: per te homines facti sunt Angeli: per te homines apellati sunt amici, serui & filij Dei: per te homines meruerunt esse coæserui*

Oration. B. Virgi. apud Su. Decemb.

Serm. i. Assump. in Spec.

Vbi sup.

Angelo

Angelorum, & cum eis familiariter cõuersari: per te notitia cælestis è terra transmittitur in Cælos: per te homines fiduciam habent in Cœlo erga Altissimum: per te crux resplenduit per vniuersam terram, in qua quidem Cruce pependit filius tuus Christus, Deus noster: per te mors conculcatur, & spoliatur infernus: per te ceciderunt idola, & excitata est notitia cælestis: per te cognouimus vnigenitum filium Dei, quem sanctissima virgo peperisti, &c. Heu! quomodo Caluinistis blasphemat hic sãctus? Sed non blasphemat, quia sanctus Andreas Cretensis Hierosolymorum Patriarcha, non est minor encomiastes. Appellat eam, *lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis sententia, in lætum gaudij iudicium cõmutatur: vocat, diuinum inter Deum atque homines conciliationis perfugium, vitæ immortalis thesaurum, Cælum in quo Sol gloriæ splendet, matrem gaudij sempiterni.* De eadem Gregorius Nicomediæ Episcopus. *Hæc est quæ à dextris Dei assistit Regina, quæ propè est pluchritudine & splendore, quæ est speciosa natura, & nullam suscepit maculam libero suo arbitrio. Ipsa ab omni creata natura insigniter honoratur.* S. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, ab hinc 900. annis, sic eam inuocauit: *Tu es honor honorantium, & præmium præmiorum, & altitudo altitudinum. Sed ô mihi sola domina, mea ex Deo consolatio, ardoris qui est in me ros diuinus, exsiccati mihi cordis diuinitus irrorans aspersio, tenebrosæ meæ animæ lampas lucidissima. Dux meæ dubitationis, vires imbecillitatis*

ne de
. Virg.

de exitu
.

ncomio

fatis, nuditatis amictus, opes mendicitatis, immedicabilium vulnerum curatio, lachrymarum ablatio, requies gemituum, alleuatio dolorum, calamitatum transmutatio, vinculorum meorum solutio, spes meæ salutis & bonorum omnium remuneratio: Exaudi meas precationes, miserere meorum luctuum, & excipe meos fletus, miserere mei, flexa mei lachrymis. Te moueat mei misericordia, vt matrem benigni Dei aspice, & annue meæ supplicationi, imple mei sitientis desiderium, & coniunge me meæ cognatæ & conseruæ in terra mitium, in tabernaculis lustorum, in choro Sanctorum: & dignare me tu, quæ es omnium defensio, & omnium lætitia, & vehemens gaudium, vt simul cum ea læter, te rogo. Certè domina Dei parens, certè meum refugium, vita & defensio, arma & gloriatio, spes & robur meum: concede mihi, vt ego quoque cum ea fruare inenarrabilibus, & quæ comprehendi non possunt, tuis bonis, in cœlesti, & quæ dici non potest, perseuerantia. Ad hæc quid hæretici Censores & Momi? sunt naui veterum: Patres errauerunt, non intellexerunt literas sacras, ad Scripturam sunt purgandi. Cur? Quia cum vestris hæresibus non conueniunt. Ex his saltem id discas, hæretice, doctrinam vestrã nouam & recentem esse: atque ante Magistri tui Caluini tempora, à nemine mortalium vel agnitam, vel auditam. Serò ergo venistis: ante vos, & sine vobis Orbis iam 1500. annis Christianus fuit. Vt porrò scias, quisnam iste Germanus fuerit, quantæque sanctitatis & doctrinæ: scribit de eo

eo Damascenus hoc insigne miraculū. *Cū per Ecclesiam trāsiret, statim mulier, quæ Stephanum (Iuniorem Imperatore) gestabat in vtero, (Ipsam enim eius quem gestabat in vtero, cura cōcitabat,) Benedic Domine id, quod in vtero meo est: clamare cœpit: Ille autē perspicaci animi oculo eum, qui vtero gestabatur, intuens, Benedicat hunc Dominus, per primi Martyris intercessionem respondit. Apud omnes porrò mulier affirmabat, se eā horæ, qua hoc audisset, igneam flammam ex diuino illo ore prosilientē vidisse.* Præclara scripsit: quæ Bibliotheca sacra collegit: vnde et' in sacris literis peritiā cognoscas. Hactenus de encomio del x ij. In quo nihil sacrilegum, nihil impium, nihil nouum inuenimus. Nisi fortè, *Hæresēon expugnatricem.* Metuit enim veterator ille Serpens, & hoc per sua membra quæ possidet (hæreticos inquam) intimos eius familiares, satagit: ne per virginem sanctissimam (cuius est, per Christi virtutem & merita, eius caput conterere) de cordibus, ore & scriptis Caluinistarum pellatur. Hactenus enim in alijs hæreticis vires eius non tulit. At, hunc titulum multis iam sæculis obtinuit Virgo Maria. De qua (vt superius dictū est) canit Ecclesia Catholica: *Gaude Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.* Et B. Bernardus ex ea: *Ipsa Maria est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius planè calcando in multis versutijs insidiatus est. Sed sine causa: sola enim contriuit vniuersam hæreticā*

de B. nat.

prauita

prauitatem. Et ante eum Sophronius. *Hæc est virgo, quæ sola interemit vniuersam hæreticam prauitatem.* Hæc de pio encomio; quicquid coaxent Caluinisticæ ranæ. Serm. de A

Cæterùm videamus, quam fideliter credant hæretici nostri hunc secundum fidei articulum. Errant cum Arianis, & negant Christi diuinitatem. Lutherus, Auus tuus sic contra Iacobum Latommum Louanienem scripsit: *anima mea odit hoc verbum, ὁμοούσιον* id est, consubstantialis. Caluinus fatetur nomen Dei per excellentiam quandam soli patri attribui: & filium personæ respectu, non nisi impropriè Creatorem cæli & terræ nominari. Idem docet, Christum secundum vtramque naturam diuinam & humanam, Patri fore subiectum: cum, vt ait B. Apost. ei subiecerit omnia. Quid hoc est, nisi Christo diuinitatem adimere, aut ei minorem tribuere diuinitatẽ, quam habeat Pater: hoc est nullam? Quia vnicus est Deus, non plures. Marotus Psal. 8. quem de Christo citat B. Paulus, cui Pater subiecit omnia: proposuit suis Caluinistis canendum, Hominis eam esse excellẽtiam, vt tantum non sit Deus. Innuere volens Christum hominem non esse Deum: & suis Symmistis paulatim Arianismum instillare. Itaque Caluinistæ sunt Ariani occulti. Vnde mirandum non est, ex eorum Synagoga prodijsse Seruatos, Gentiles, Blandratas, & cæteram colluuiem Tritistarum? qui occulta eorum dedecora indarẽ Lib. contr Valet. ge Li. 2. inst 1. Cor. 15 Hebre. 2

pro

prodiderunt. Sed quia prꝙuenerunt tẽpus, dederunt Caluino & Bernensibus sacramẽtarijs pœnas. Quid est obsecro, quod Orator Regis Francorum apud Turcam, Guilielmus de gran Rij, ante aliquot annos Constantinopoli supremo Bassę suo Gallicos Caluinistas, seu Hugonotos, ad peculiare fœdus & amicitiam commendarit: scripto ipsorum institutum ei porrigens. Vbi inter cætera, etiam hoc posuit, Religionem ipsorum cum Turcica ferè conuenire: nisi quod in ieiunijs & eleemosynis, Hugonoti non ita sint astricti certis obseruationibus, sed liberrimi per omnia, vt agere & credere ipsis liceat, quod lubet. Vide quid ea de re circa idem tempus scripserit doctissimus vir Erasmus Vendius, Duci Bauarorum à Consilijs, mihi olim in Germania notus & familiaris. Itaque Caluinistæ ore nihil præter Christum crepitant, corde nihil minus cogitant: nimirum meditantur & machinantur Mahumetismum, sicut Oratoriam dictus non obscurè indicauit, vel Atheismum, cuius argumentum mihi est, tantus Politicorum, hoc est, Atheorum numerus, discipulorum Machiauelli: qui nihil pensi habent, quam commoda sua, & externam politiam. Proh dolor in quæ tempora incidimus quibus impij homines velo Euangelij, reformationis Ecclesiæ & honoris Christi, tegunt Atheismum: quo & Christum exterminent, & sacrilegam carnis libertatẽ inducant. Callida vulpes Caluini

uiniſtica : quæ aliud præ ſe fert foris, aliud geſtat intus in corde. Ex operibus & fructibus iam cogniti ſunt: &, vt vereor (quod Chriſtus auertat) amplius cognoſcentur.

HÆRETICVS.

Adijciatur contra tertiũ, de ſancta Chriſti conceptione, articulum: non ſolum Põtificios Mariæ virgini conceptionis ſanctitatem atribuere, ſed eam quoque multo maiori ſacrilegio, à Romana Eccleſia peculiari feſto obſignatam &c.

COSTERVS.

Quid contra ſanctam Chriſti conceptionem faciunt, qui eius ſanctiſſimam Matrem ſine peccato conceptã eſſe arbitrantur? An obeſt ſanctæ Chriſti natiuitati, quod Ioannes Baptiſta in Matris vtero, Spiritu ſancto repletus, ſine peccato naſcitur? Vides, Antimarianæ, quod angulos omnes inueſtigas, vt in Chriſti matrem inuenias aliquid? Cõceptam B. Virginem ſine peccato, nemo chriſtianus fide credit, neque aliter ſentiẽtem damnat: opinamur tantum, ſicut in liberis quęſtionibus licet. Feſtum conceptionis celebrant vtrique, & nos, qui eam immaculatam tuemur, & qui aliam opinionem tenent: nos propter ſanctam conceptionem, illi propter ſanctificationem ſtatim à conceptione. Neque Latina tantùm

Eccle-

Ecclesia hoc festũ ante 500. annos aliquibus saltem in Prouincijs, vt, Anglię & Galliæ celebrauit : sed Græci quoque, vt ex Balsamone patet, & Georgio Nicomediensi Episcopo, qui de eadẽ solennitate sermonẽ habuit. Quale est hic sacrilegium Sacrilege, & in Christi Matrem Impie? Caue ne ab ea malè pereas: qui eius honorẽ & gloriam falsò prætextu eieuare studes.

Nomoca- Photij.

Caluinistæ, quid contra hunc articulum? D. Ioannes scripsit : *Verbum caro factum plenum gratiæ & veritatis.* Nulla enim illi gratia defuit, nihil ignorauit, qui in verbo omnia videbat : & huc ad nos venit, vt de plenitudine eius acciperemus, & ab eo doceremur omnem veritatem. At Caluinus Christo ignorantiam tribuit, cũ Magistris suis Luthero & Bucero, & animi inconstãtiam nominatim in horto : *Metu, ait, perculsus, & anxietate constrictus fuit, vt necesse foret inter violentos tentationum fluctus, alternis votis quasi vacillare.* Item. *Non fuit hæc meditata Christi oratio: sed vis & impetus doloris eam ei vocem extorsit, cui statim adiuncta fuit correctio, eadem vehementia præsentem cælestis decreti memoriam illi abstulit.* En qualem Christũ colunt Caluinistæ? ignorantem, & passionibus agitatum, atque ita abreptum, vt non meminerit diuini decreti. Ignorauit vobis, non solùm iudicij diem, de quo apud Marcum : sed alia quoque multa: quia profecisse legitur sapientia & ætate,

Ioan. 1.

Matth. 24.

Marc. 13.

tametsi

tametsi paulò antè puer plenus sapientia fuisse scribatur. Anne hoc est Christum in ordinem cæterorum hominum redigere: eiúsque humanitatem ad blasphema somnia Caluini, non reformare, sed deformare velle? eúmque ignorantem, impotentem, suísque passionibus subiectum facere?

HÆRETICVS.

Declaretur, quam absurdè Pontificij doctores, contra quartum fidei articulum, & sacrarum literarum definitionem, Christi passionem adeò mutilent: vt eam corpore quidem & sensibus tribuant: sed anima rationali quicquam perpessum esse in horto, aut in Cruce, aperrè negent. Scilicet vt crassiorem errorem tueantur, Christum inde à Conceptione futuram animæ suæ in vita æterna gloriam, non speraſſe: sed eadem perpetuo sibi præsenti fuisse beatum: ita vt in Cruce quidem summos corpore & sensibus sustinuerit cruciatus, anima verò rationali summo gaudio fuerit plenus, &c.

COSTERVS.

Cùm qua scriptura pugnat, Christum ab initio conceptionis suæ vidisse essentiam diuinam? *Filius*, inquit, *hominis, qui est* Ioan. 3. *in cælo*: &, *Vado parare vobis locum, & accipiam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.* Iam igitur intuebatur mente di-

essentiam, erátque in æterna beatitudine, etiam antequam pateretur: hoc est, in ea felicitate, quæ erat vltimus finis Apostolorum, quo eos perducere satagebat. Reuera, doctor hæretice, declaras te valdè indoctum: & doctissimam Sancti Thomæ, quam impugnas, doctrinam, stupiditate & obtusis sensibus tuis non penetrare. Affirmat enim sanctissimus Doctor, totam animam Christi passam: iux-
Psal. 87. ta scripturam, *Repleta est malis anima mea*: ratione subiecti, non ratione obiecti. Cùm enim tota anima sit in corpore humano: patiente corporis aliqua parte, patitur anima tota, quæ in ea inest. Si visui obiicias pulcherrimas picturas, ab illis nihil patietur: sin oculum pungas, patietur propter organi dolorem: ratione obiecti, sustinebit dolorem, si videre cogatur horrenda, aut terribilia spectra. CHRISTVS mente & intellectu intuebatur Deum: hoc est summum bonum, quod ab eo nunquàm aberat: sicut scriptura testatur. Hoc igitur obiecto nihil patiebatur. At quia in corpore inerat tota anima, passa est in tormentis, ratione subiecti, tota: cum corpus ipsum pateretur. I nunc, & disce melius, quid sit mens, anima, subiectum & obiectum: vt ex scientia loqui videare, & non condemnes crassioris erroris, quod crassities tua non capit.

Errores vestri in hunc quartum articulum,

lum, sunt magis blasphemi: extenuant enim, & ferè tollunt omnem virtutem passionis Christi. Adam peccato suo infecit animas nostras, liberi arbitrij vires infirmauit, potentiam cupiditatum auxit, merendi facultatem abstulit, & totum hominem prorsus deiecit. Nos Christi passionem credimus, ob personæ diuinæ dignitatem infiniti meriti & potestatis, qua nobis ipse infinita promeritus est: *vt non sit sicut delictum, ita & donum*: sed multò amplius acceperimus per Christum, quàm perdiderimus per Adamum. Rom 5.

Quid porrò vobis contulit CHRISTVS? Sanguine suo & cruciatibus nulla purgauit peccata, sed velauit, & internas sordes texit: libertatem arbitrij non restituit, sed voluntatem in sua seruitute dimisit; nullas vires dedit vitandi peccata: multo minùs bonis operibus gratiæ augmentum, vel æternam vitam promerendi: nullam infudit animis internam gratiam, qua filij DEI nominemini, vel sitis.

Quid ergò effecit vobis CHRISTVS? Prætendit velum passionis suæ: quod si quis fide sua apprehendat, damnari non possit, etiam plenus & coopertus sordibus. Nescis, hæretice, sordes fœtere, etiam velatas? Ex his discimus, in Caluinistarum Synagoga nihil esse aliud, quam sentinam & cloa-

cloacam fœtidissimam, omnis spurcitiei plenissimam: foris velo tectam. Vos videritis ergo, quomodo in mundissimam Christi regiam admittendi sitis: in quam
Apoc. 21. non intrabit aliquod coinquinatum, aut immundum.

HÆRETICVS.

Aduersus quintum articulum, conuertunt infernum in paradisum.

COSTERVS.

Non Christiani, sed Christus: qui Latroni crucifixo promisit, *Amen dico tibi, hodie*
Luc. 23. *mecum eris in paradiso*. Quo abibat eo die latro post mortem? Vbi Christus erat: vbi verò erat Christus, nisi in inferno? iuxta hunc quintum articulum, *Descendit ad inferos?* &,
Ephes. 4. vt Apostolus loquitur, in inferioribus partibus terræ? Viderisne tibi rem probe gessisse, cum pro absurdo refers, quod scriptura clarè affirmat? Vos verò, quid de hoc articulo creditis? Christum gehennæ pœnas perpessum esse. Ita Caluinus vester lib. 2. Institutionum. Hæc gehenna illi cœpit in angustiis horti, profecit in reliqua passione, valdè aucta est in Cruce: cum ad Patrem clamauit, *Deus meus, Deus meus, vt quid derelinquisti me?* Denique perfecta fuit, cum ante patris tribunal totus tremebundus stetit, æternam metuens damnationem, & in ea gehenna perseuerans toto triduo vsque ad resurrectionem? Heu: quæ blasphemiæ impiorum Caluinistarum?

rum? Ex his non multò post, concluſit Argentinenſis quidam, Chriſtum, quia deſperans clamaſſet ſe à Patre derelictum, ſic ad inferos deſcendiſſe: & etiamnum illic damnatum detineri: quia in inferno nulla ſit redemptio.

HÆRETICVS.

Aduerſus ſextum articulum, & ſacrarum literarum authoritatem errāt, quod Chriſtum dicant, per paſsionem non intraſſe aſcenſione ſua in gloriam, ratione corporis & animæ, ſed corpore tantum: videlicet quod animæ beatæ nihil accedere potuerit maioris gloriæ.

COSTERVS.

Profer ſcripturam, quæ doceat, Chriſti animam in hac vita, Dei eſſentiam non vidiſſe: neque fuiſſe ſuperiore ſui parte beatam. Si in aſcenſione demùm vidit Deum, quiſnam erat paradyſus, in quem Latronem à morte ſecum introduxit? Diſce ergo hæretice, in ſacris rebus valdè peregrine, Chriſtum corpore & anima conſcendiſſe cælos: corporiſque gloriam, quam per reſurrectionem acceperat, illuc intuliſſe. Quid hic abſurdi, niſi tuo indocto cerebro?

Vos verò quid? *Primò*, Negatis Chriſtum comitatu ſanctorum Patrum, quos de captiuitate inferni eduxerat, aſcendiſſe: Contra Apoſtoli ſcripta, *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*: flagitiis

vultis in nescio quæ loca detrusos, & velut ex vno carcere ad alium translatos, ibíque detentos & relictos.

Secundò, Sic Christum constituitis ad dexteram Dei patris, vt ei officium mediatoris tribuatis, etiam iuxta diuinam naturam. Magna ignorantia & blasphemia. Persona quidem Dei & hominis, Christus Iesus mediator est: sed ratione humanæ naturæ passus est, satisfecit Deo, sacrificiū corporis sui Deo obtulit, & vt verus Mediator nos Deo reconciliauit. Viden' occultum Arianismum sensum se prodere.

Tertiò, Ociosum ibi ponitis, & quasi somnolentum, & incurium: qui totos mille quingentos annos, contra pacta & promissa, nullam Ecclesiæ suæ curam gesserit: quam tot fœdis erroribus passus sit repleri & deformari.

HÆRETICVS.

Indicetur, eos aduersus septimum articulum, Christi & Apostolorum definitionem, Christi corpus non expectare primùm ad diem Iudicij, vt præsentia illius potiantur: sed contra statuere, id è cælo in dies descendere, & se Sacrificulis sistere in Missa præsens.

COSTERVS.

quæ sciens, volénsq; tam splendidè mentiris,

ciris, hæretice? Scis enim nos neque Christi corpus de cæleſti loco detrahere, vt illic eſſe deſinat: neque aliquid noui ſtatuere, quod ipſe non promiſit. *Ego*, inquit, *vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*: non ſolùm diuinitate, quomodo nobis adeſt tota Trinitas: neque ſolis donis, vt Spiritus ſanctus: ſed corpore & anima, ego ipſe Deus & homo. Credimus igitur cum ſcriptura, totáque antiquitate Patrum, Chriſtum Dominum & nobis corpore ſuo continenter adeſſe: & eodem corpore in cælis cum ſanctis reſidere. Matt. Ioan.

Quid porrò vos de hoc ſeptimo articulo creditis? Chriſtum venturum quidem Iudicem, ſed iniuſtum: qui innoxios damnabit, noxios ſaluabit. Siſtantur coram tribunali Iudicis hominis, duo, quorum vnus ſit multis criminibus grauatus, alter nihil ſponte ſua commiſerit mali, ſed ab alio impulſus: nonne iniqua erit ſententia, ſi hic grauibus ſuppliciis adiudicetur: ille etiam gloria & præmiis honoretur? Vos hominibus primò adimitis liberum arbitrium, à quo ſolo veniunt opera bona & mala, merita præmiorum & ſuppliciorum: deinde docetis, neminem eſſe qui peccatis careat, quæ eum gehennæ reum conſtituant: quomodo eum damnabit CHRISTVS Iudex iuſtiſsimus, qui priuatus libero arbitrio, ſponte ſua nihil mali fecit? & quomodo hominem opertum peccatis & flagitiis

(vobis enim omnia peccata sunt æqualia, hoc est, mortalia & flagitia) adiudicabit æternæ gloriæ.

De *octauo* articulo silet hæreticus. At ego duos grauissimos errores eorum detegam. *Prior* est, hæresis Macedonij: cum quo negant Spiritus sancti diuinitatem. Caluinus enim fatetur, *Deum habuisse vim generandi filium, & propagandi Spiritum sanctum, quia voluit*, vt à Patris voluntate pendeat filij generatio, & Spiritus sancti processio: quid hoc est aliud, quam filium & Spiritum sanctum constituere Patris creaturas? Si diceret, Patrem gignere filium, & producere Spiritum sanctum volentem, nullus esset error: at dicere, quia voluit, idem valet, atque, eorum processiones esse in Patris voluntate: non in natura diuinitatis. Homo corpore crescit volens quidem, sed non quia vult: quia voluntas non est incrementi causa, sed natura: crescit tamen volens, quia gaudet corporis incremento. Vidésne quot hæ[illegible]ac Caluinistica insania tegantur? & miraris, paulatim ad atheismum viam sterni? *Alter est*, Spiritum sanctum nõ esse veritatis Spiritum, sed spiritum mendacij. Siquidem Ecclesiam Christi, ad quam erudiendam missus fuerat, docuit innumera mendacia: & fœdiores idololatrias, quàm vnquam habuerint Gentiles: mutauit tantùm idola, non sustulit. Aureas, argẽteásque, nobilissimas statuas, conuertit in corrosas lignеas,

gneas, latericeas, chartaceas, cereas, lineas, terreas: immò in ossa mortuorum, eorumque vestes & vilem supellectilem, adeóque in bolum panis. Quid hac idololatria fœdius? Hanc tamen Spiritus ille docuit Ecclesiam, verbis & exemplis Episcoporum, & Ecclesiæ doctorum, immò Generalium Conciliorum decretis, confirmauitque multis rationibus, sacris literis, & scriptis libris: adeóque innumeris miraculis. Neq; fuit, qui se totis his 1500. annis opponeret. Nam si quis, vel hiscere audebat, vt veteres Iconoclastæ, & Berengarij sequaces, statim repressi fuerunt: & hæreseos damnati & anathematizati. Vbi tunc erat spiritus veritatis, quem Christus Ecclesiæ suæ promisit? *Mittam vobis*, inquit, *à Patre Paraclytum, Spiritum veritatis, qui docebit vobis omnem veritatem: & suggeret vobis omnia, quæcumque dixi vobis: in vobis erit, & manebit vobiscum in æternum.* Viden, qua contumelia afficias Spiritũ sanctum, quando tot nefandorum errorum condemnas Ecclesiam? Ioan. 14

HÆRETICVS.

Ostendatur prætereà eos aduersus nouum fidei articulum, Ecclesiam sanctam Catholicam, cũ particulari & impura sua Romana Ecclesia confundere: adeò vt vulgò Romanam, & Catholicam Ecclesiam pro eadem absurdissimè vsurpent.

COSTERVS.

Non absurdissimè, neque absurdè: sed rectissimè & maximè propriè: quod ea sit mater Ecclesiarum (vt veteres loquuntur) in qua sedeat Christi proxim⁹ Vicarius, B. Petri successor: cui Christus totius ouilis sui curam commendauit. Sicut igitur à Duce, exercitus habet nomen: ita Catholica Ecclesia ab Ecclesia Romana: cum qua qui non communicat, perit: & qui nõ colligit, spargit: vt Diuus Hieronymus loquitur.

Quod ad vos attinet, careris omnibus, quæ illo articulo credimus. Nam *Primò*, vbi est Ecclesia vestra: quam sub interminatione damnationis oportet audire, vt Christus mandat, & quæ est columna & firmamentum veritatis? Da cœtum hominum, qui instar columnę veritatem sustentet, & errare nequeat. Nullus est apud vos: solam scripturam agnoscitis infallibilem: nulla est igitur apud vos Ecclesia.

Secundò, Quam mihi dabis vnitatem in cœtibus vestris? Euangelici vultis nominari, & reformatores Ecclesiæ: sed tanta varietate & cõtentione, vt mutuis pugnis vos laceretis. Differunt Lutherani à Sacramẽtariis: & horum alij sunt Zvvingliani, alij Bucériani, alij Caluinistæ: & inter hos rursum alij cõmunes, alij Reginales, alij Puritani. Vbi est illa Ecclesia vna, fidei & do

& doctrinæ vnitate, toties in literis sacris commendata?

Tertiò, Vbi sanctitas Ecclesiæ vestræ? Omnes scatetis innumeris sordibus, intus pleni, foris cooperti vitiis, (hoc enim fides vestra docet) quomodo ergo sãcta Ecclesia, quæ neminẽ habet sanctũ? Arbor licet ramos habeat emortuos, si tamẽ vireãt aliqui, dicetur viuere: at mortua erit, si nullus viuat: vbi ergo in nullo est sanctitas vitæ, quomodo Ecclesia sancta?

Quartò, Qui potest esse Catholica, hoc est vniuersalis Ecclesia: seu potius Synagoga vestra, qui ante Caluinum vestrum nusquam extitit? Aut nomina locum, personas, Ecclesias, quas his mille annis occupastis: vestrósque solemnes ritus in eis peregistis?

Quintò, Quam habetis Sanctorũ communionẽ, qui sanctis caretis? quibus Sancti defuncti nihil agunt: qui operibus bonis, vestra confessione, nihil meremini.

HÆRETICVS.

Adiungatur error grauissimus, quod aduersus nonum & decimum articulum, statuant Sanctos (qui tamen omnes nobiscũ communiter in hac vita debitores extiterunt, & remissionis peccatorum, vitæq; æternæ communionẽ cum reliquis fideli-

bus habent) non solùm habere sua apud Deum merita: sed iis etiam remissionem peccatorum aliis promereri: dum viuunt quidē, animis in purgatorio afflictis: post mortem verò, reliquis etiam fidelibus in terra constitutis.

COSTERVS.

An malitia mentiaris, an ignoratione pecces, non ausim definire: hoc affirmo, te hic duo falsissima loqui: vnum est nos aliis remissionē peccatorum promereri: vnicus Christus passione sua & morte hāc promeritus est: & nobis peccata nostra per Sacramenta condonat: nos ad satisfactionē quæ restat, tum viuis, tū defunctis, succurrimus ex communione Sanctorum. Alterum est, Sanctos post mortem, etiam reliquis fidelibus promereri. Iā enim sunt extra merendi statum, non extra statum fruendi meritis suis, aut pro viuis vel defunctis Christianis orandi. Video Sanctorum vestrorū communionem in eo consistere, quod in peccatorum remissione, & spe vitæ æternæ conueniunt: at hac cōmunione nihil sibi communicant, sed cōmunibus Christi bonis vtuntur. Aliā communionem agnoscit scriptura: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientiū mandata tua*, ait Dauid, & B. Paulus: *Bene feciſtis communicantes tribulationi meæ.* Volunt & sacrę literę Christianos, qui viua sunt eiusdem corporis membra, non solùm mutuis externis

externis officiis iuuari & prouehi: sed et ā charitate, meritisque in spirituali animæ vita foueri & promoueri.

Vos in hunc decimum articulum turpissimè peccatis. Tum quòd cum veteribus Nouatianis, adimatis Ecclesiæ iudiciariam remittendi peccata potestatem: quā Christus Apostolis ipso resurrectionis suæ die, sub vesperum contulit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c.* Ioan. 2 Tum quod nulla velitis peccata prorsus tolli: sed externa Christi iustitia tegi & velari. Nō ergo creditis remissionem peccatorum: sed eorum in vobis manentium velamen. Tum quod certa fide vestra persuasum vobis habeatis, peccata vobis, qualiacūq; illa sint, non imputanda: dummodò Caluinistica speciali fide vestra Christum apprehendatis. Quo errore, vix scio quid sit stolidius, atque nocentius: eo enim inducitur plebs, vt cupiditatibus laxet habenas, solique huic fidei fidat: qua certi sint, per Christū sua peccata non imputanda. Apostolus 1. Cor. hac fide carebat cùm diceret: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

De carnis resurrectione: Nos non accusas: At ego habeo, quod in vos dicam. Si enim viua fide crederetis, Sanctorum corpora resurrectura cum christo, vestiēda gloria & immortalitate: coronanda dotibus, quas Beatus Paulus enumerat, 1. Cor. denique replenda maiestate diuina, a

que Dei essentia, quæ ex anima corpus ipsum illustrabit: nõ ea passim abiceretis, flammis exureretis.

HÆRETICVS.

Denique monstretur, Pontificios doctores contra 12. articulum & reliquos omnes, loco fidei veræ, qua vitam æternã propter Christum gratis promissam, vera fiducia amplectuntur fideles: dubitationem substituere: & quod scriptura donum Dei esse testatur, operum suorum meritũ indignissimè appellare.

COSTERVS.

Duo carpis. *Prius*, quod dubitationem loco veræ fidei, & fiduciæ de vita æterna substituamus. Dico nos credere, æternã vi-
19. tam his dandã, qui Dei mandata seruauerint: iuxta verbum Christi, *Si vis ad vitã ingredi, serua mãdata.* At vt mihi dãda esse vera fide credã, aduersatur scripturæ, &
9. rationi: siquidẽ Apostolus castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, ne fortè aliis prędicãs, ipse reprobus fieret. Et nonne omnis homo mendax, & vanitati similis, incõstãs in omnibus viis suis? Quid si igitur cras labatur in peccatũ, qui hodie credidit se certò saluãdum, atq; in eo peccato de vita decedat: nõne fuerit fides mẽdem & falsa? An putas fieri nõ posse, vt labatur

batur fidelis? Atqui Petrus lapsus est post insignem, & laudatam à Christo confessionẽ: & Dauid vir alioquin secundùm cor Dei, Fiduciam non tollimus: sed ea non solo diuino verbo nititur: requirit enim opera nostra, *Si vis*, ait, *ad vitam ingredi, serua mandata*, Et B. Paulus: *Gloriamur in tribulationib⁹, scientes quod tribulatio patiẽtiã operatur: patiẽtia probationẽ: probatio verò spem: Spes autẽ non cõfundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritũ sanctũ qui datus est nobis.* Rom. Item B. Ioannes, *Si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum:* 1. Ioa. Viden, fiduciam, non esse fidem vestram, & inanem persuasionem: sed spem veram, quæ fundatur quidem in promissionibus Dei: requirũt tamen cor peccatis vacuum, charitate plenum, & opera bona? Non iniicimus anxietatem, nisi malis: sed non damus indubitatam fidei certitudinem. *Alterum*, quod reprehendis, est, Nos meritis nostris expectare vitam æternã. Respondeo, ita docere scripturam: *Redde operario mercedem suam*, &c. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, &c. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Hæc est Apostolica doctrina, per tot annorum centurias ad nos deducta. Tu doce, si potes, quis indignissimam hanc doctrinam primus excogitarit. Matt. Matt.

Vestri de vita æterna detestandi errores sunt. *Primò*, quod nemo præter Christũ solùm, in cælis Dei vultum intueatur:

virgo Dei mater, non latro (cui tamen dictum fuit, *Hodie mecum eris in paradyso,*) non Apostoli, non Martyres, denique nemo. Heu, quæ blasphema nouitas? *Secundò,* vnicuique certa fide esse credendum, quod saluus erit. *Tertiò,* nullis bonis operibus vitam æternam reddi: sed huic tantummodò fidei, qua hanc salutem vobis persuadetis. Et hi absurdissimi errores, partim in veteribus hæreticis damnati, partim à vobis excogitati, sunt vobis Dei verbum, & Scriptura sacra: non quod eos scriptura vel doceat, vel habeat: sed quod eam vos ad alios detorqueatis, & quæ vultis, dicere cogitis. Vnde manifestò liquet, literas sacras, quas toties iactas: & verbum Dei, ad quod Ecclesiam purgare, & Patres veteres corrigere satagitis, non esse Dei verbum: vel literas sacras: sed verbum diaboli, & somnia Caluini, dæmonis astu, ab ipso in lucem edita. Hactenus de 12. articulis, nũc de Sacramentis.

HÆRETICVS.

Docent, si aqua elementaris desit, illius loco non aquis distillatis, sed iure carnium vti licere, imò etiam vrina.

COSTERVS.

Christianorum doctrina est, Baptismi materiã esse, quamlibet aquã naturalem, qualitercunque transmutatam: dummodò non soluatur species aquæ. Vestri nonnunquã ablutione scutellarum atq; ollarũ baptizarunt infantes: sicut alibi scripsi. Vrinę

baptis

baptiſmũ deferemus vobis,& Luthero veſtro:qui nihil niſi ſtercus & ſordes eructabat. Et pro hęreſiarchica ſua authoritate definiuit, quicquid balnei nomine nuncupari poteſt, illud aptum eſſe ad baptizandum: ſiue cereuiſiam, ſiue vinum,ſiue lac. Nam horum poteſt eſſe vſus in balneis.

HÆRETICVS.

Tradunt baptiſmum eſſe poſſe,ſi quis dicat:baptizo te in nomine Patris,& Filij, & Spiritus ſancti,&B.Virginis Marię.

COSTERVS.

Si eiuſdem nominis ſignificatio referatur ad B. Virginem erit impia forma: non enim eſt idẽ nomen Patris & Filij, & Spiritus ſancti, & B.Virginis, quæ nomen habet creatum. Si quis tamen adderet, *Et in nomine B.Virginis*:nihil incommodi ſequeretur. Siquidem non propter nomen B.Virginis habet ſuam vim Baptiſmus, ſed propter nomen Sanctiſſimę Trinitatis, quod antecęſſit. Veſter Prædicans Iuniorem filium Arriani hac ſolẽnitate baptizaſſe dicitur, de cathedra ſuperiori proferebat verba, *Ego te baptizo in nomine Patris*: Tum qui infanti inferius aſtabat, eius caput abluebat. Rurſus prædicans,*Ego te baptizo in nomine Fily*:iterum aſpergebatur Infans ab eodem,qui eum ante abluerat.Tertiò denique Prædicans : *Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti* : tunc rurſus abluebat, qui prius.Quæro,ſitne baptizatus quem veſter Prædicans hoc modo ter ablui iuſſit?Et a-

men

men vestrũ nullus, de huius rei veritate inquirit: vt reuera baptizetur, qui tertiò malè tinctus est, & necdũ baptizatus. Zvvingliani fratres vestri baptizarunt, In nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti, Arianorum more: vt paulatim Arianizare discerent.

HÆRETICVS.

Non minus absurdè sentiunt, cum contra Christi, & antiquorum Patrum doctrinam, Baptismum, si Sacerdotes desint, à feminis fidelibus aut infidelibus administrari posse docent.

COSTERVS.

Vbi id vetuit Christus: *Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* Qui Patres id à Christo vetitum docuerunt? Non legimus ab Apostolis factum: sed nec legimus cautum. Vbi habet Scriptura, Baptismum à pueris in lusu collatum? Attamẽ ante 1200. annos, probatus fuit baptismus, quem Athanasius puer Iudæis puerulus, puerili lusu contulerat. Fæmina Christiana non minus poterit in necessitate baptizare infantem, quam Sephora filium circuncidere: cum Baptismus Circumcisioni successerit. Id ante annos 500. definiuit Vrbanus 2. qua de re nemo dubitauit. Quæstio fuit de infidelibus. Sed cum in hoc Sacramẽto neq; sacer Ordo aliquis requiratur, sicut in Eucharistia, Confirmatione, Sacerdotio, Extrema vnctione, neque Ministerij bonitas aliquid conferat ad Sacramenti effectum: decretum est à Patribus Florentini Concilij, In casu necessitatis

ſt. 3. uibet.

sitatis licere laico, seu viro, seu fœmine, seu Christiano, seu pagano baptizare, modò adsint materia, forma, & intentio debita. Cui Concilio aderant, præter Latinos Patres, etiam Constantinopolitanus Patriarcha, & Imperator, cum Episcopis plurimis Græcis, & Armenorum Legatis. Et multò ante, circa annum Domini 358. de baptismo à Iudæo collato consultus Nicolaus primus decreuit, baptisma non esse repetendum. Quid igitur à nobis peccatur, si id sequamur, quod Maiores constituerunt? Fateor neq; mulieri, neque Laico, siue fideli, siue infideli, permitti Baptismum solẽnem, cum consuetis Ecclesiæ ceremonijs, neq; extra necessitatem. Sed cum Christus Nicodemo disertis verbis, & cum asseueratione dixerit: *Amẽ amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sãcto, non potest* introire in regnum Dei: indubitatum fuit semper apud Christianos, non patere infãtibus salutis ianuã, nisi per baptismum, quo si priuentur, non assequentur vitam æternã. Quomodo non igitur omnibus, cuiuscunque sexus, ordinis, aut conditionis hominibus potestas facta est à benigno & misericordissimo Deo, Infantulos de mortis æternæ periculis liberandi, & baptismũ eis in necessitate conferendi?

Cap. 1 in Gr de co Dist. 4 quod

Ioan. 3.

HÆRETICVS.

Statuũt Infantes, in vtero matris adhuc latentes, in vitæ periculo, si caput tantum, pes, aut manus extet, debere baptizari.

COSTE

COSTERVS.

Et quid hic absurdi? nisi vobis: qui cũ fratribus vestris Anabaptistis, docetis (contra Dei verbum, & Sanctorum Patrum doctrinam) sine baptismo peruenire ad salutem. S. Thomas docet, si caput extet, baptizandũ puerum, tanquam primaria corporis parte, in qua sensus; ex vtero egressa & baptizata: neque postea reiterãdum baptisma. De pede, manu aliisq; membris non deest dubitatio: ac proinde qui sic baptizatus foret, censeretur sub conditione denuò baptizandus, Quid hic mali?

HÆRETICVS.

De cęremonijs baptismi nõ minora obijci possunt absurda. Vt quod Põtificij Sacerdotes, præter Christi institutionem, ritibus varijs, partim insulsis, partim fœdis, partim impijs baptismum conspurcent, &c.

COSTERVS.

Quomodo, insulsis: qui saltem adhibemus? quomodo, fœdis: qui aqua abluimus? quomodo, impijs: qui Dei verbo sacramus? Tu insulse Minister, fœde prædicans, & impie hæretice: audes insulsa, fœda, & impia nominare, quæ nobis Apostoli tradiderunt? & cæremonias, quibus vsus est Christus? qui, vt ijsdem vti non prohibuit: ita vt vtamur, exemplum dedit. Si nihil ad ritum Baptismi Apostolici addere licet, cur vos eorum more, ad aquas, aut flumina baptizan

ptizãdos non educitis: vt aquis mergantur ter, in sepulturę Dominicę memoriam? Cur vos nomina inditis pueris baptizatis: quod Apostolos fecisse nõ legitis? Nescis Baptismi cæremonias, non hominum esse traditiones, sed diuinas? Alioquin ede primum authorem, qui his insulsis, fœdis & impiis ritibus baptismum conspurcauit. Si nequis (nam vetustiores sunt tua insulsa sapientia, fœda blasphemia, & impia hæresi) desine stultitiam tuam prodere: ne in te dicat B. Iudas Apostolus, *Quæ ignorant, blasphemant.* Iudæ 1. & Sapiẽs, *Stultus irridet disciplinam Patris sui.* Prouc. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes, stultorum corporibus:* &, *Dominus illos irridebit.* Sap. 4. Putas satis esse ad confutationem, si sacras & venerandas cæremonia, ridiculè proponas: & nescis tuam prodi insanam impietatem, quando spurco ore & calamo inuerecundo sacra temeras? Ridens enim nos, irrides christum: qui digitos suos in aures surdi misit, qui sputo tetigit muti linguam, qui suspiciens in cęlũ ingemuit, qui luto liniuit oculos cæci, qui manus leproso impositi, qui in Apost. insufflauit, qui sordidos pedes lauit, qui infirmos oleo inungi præcepit, qui eleuatis manibus benedixit suis abiturus in cælum, qui ab Angelo signum Dei viui Sanctorum frontibus inscribi iussit, ne à deuastante Angelo extrema paterentur. Tu ista omnia si rides, haud dubio rideberis. *Ipse enim deludet irri-*

Marc. 7. Ioan. 9. Matth. 8. ioan. 10. ioan. 13. Apoc. 7.

sores

fores, & in interitu vestro ridebit, & subsannabit, cum id vobis quod timebatis, euenerit.

HÆRETICVS.

Contra Christi honorem, & Apostoli decretum nomen Sancti alicuius imponunt, vt eo patrono, baptizatus omnes animæ & corporis molestias superet.

COSTERVS.

Duo videris carpere. *Vnum*, quod nomen Sancti alicuius imponamus baptizãdis. Fortasse è displicet tibi S. Francisci nomen à parentibus Catholicis impositum, quem indignabundus ad nos superius reiecisti, cum Dominico, & eiusmodi farinę (vt loqueris) Sãctis nostris: sumpsisti verò nomen Gommar Ducis crudelissimi Longobardorũ, qui (vt est apud S. Gregoriũ) capreę caput dæmoni immolatum, adorandũ proponebat, Tu gaudeas Barbari nomine: nam etiam S. Gommarus, quem Lyrani colunt, est ex farina Sanctorũ nostrorum. Cęterũ licet scriptura non iubeat Sancti nomẽ imponi, antiqua tamẽ est ea Christianorũ consuetudo. De qua apud Eusebiũ S. Dionysius Episcopus Alexandrinus: *Ioãnis Apostoli multo fuisse gentiles arbitror, qui propter singularẽ amorẽ, quo erga illum affecti erant, propter admirationẽ, quã de ipso habebant, & propter emulationẽ, qua ad illum imitandum flagrabant, & quod à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appellationẽ amplexati sunt: quemadmodũ nomina Pauli & Petri fidelibã liberi crebrè fuerunt.* Ecce cur nomina Sanctorum gerimus. *Alterũ*, quod

quod rodis, est, Ideo nomen Sancti impo-
ni, *vt eo Patrono, baptizatus omnes animæ & corporis molestias superet.* Ergo hanc causam dederam, *vt patronos in cælis habeant eos, quorũ nomina gerunt in terris.* Placet tamẽ, quod dicis, Auxilium speramus patronorum nostrorũ, vt illi nobis adsint in molestijs corporis & animæ. Cur id non possint Sancti, quod potuit Raphaël Angelus: qui preces & bona opera Tobiæ patris in cælum Deo detulit: & à filio Tobia inuocatus, eum à deuoratione piscis eripuit? De Angelo custode suo dicebat Iacob: *Angelus, qui eripuit me de cũctis malis benedicat pueris istis* (Ephraim & Manasse) *& inuocetur super eos nomẽ.* In libris Iob sic dicitur de peccatore miserijs afflicto, & à peccatis cõuerso: *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, & annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius:* (Deus) *& dicet*, Angelo, *libera eum, vt nõ descendat in corruptionẽ.* Nõne ciuitates & regna sibi patronos elegerunt Sãctos vel propter eorum reliquias: sicut Roma B. Petrũ & Paulũ, Cæsaræa 40. Martyres, Mechlinia Rumoldum, Lyria Gommarum, &c. vel ob singularem deuotionem: quomodo Constantinus Imperator Constantinopolim, nouam Romam in honorem B. Virginis Mariæ Deo dedicauit, vt est apud Nicephorum, & vniuersa Hungaria atque Alsatia, eãdem sibi quondam in Patronam assumpsit? B. Augustinus affirmat, defũctos Chri-

Lib. 4. Christ. Tobiæ

Genes.

Iob. 33.

li. 8. hist. li. de cur mort. c.

stianos

stianos ad Sanctorum reliquias sepeliri: vt eorum precibus apud Deũ iuuentur. Quid igitur mali est, à patronis, quorum nomina gerimus, auxiliũ expectare corporis & animæ? Nonne eiusmodi auxilium à te expectãt in dies singulos vxor tua, & filii tui, & tu à magistratu, aut Dominis tuis, à quibus pendes? Tu misselle plus poteris, quam Sãcti Patroni nostri, qui iam cum Christo in Cælis regnant, & constituti sunt super omnia bona Domini sui?

HÆRETICVS.

Sacramenti Cænæ naturam peruertunt, cum vinum aquæ admixtione superstitiosè adulterant.

COSTERVS.

Quis primus aquã vino miscuit? Concilium 3. Carthaginense, cui aderat B. Augustinus, hoc dicit à Domino factum: & ante eos S. Cyprianus. Quid igitur tu inepte garris? Sed cur non carpis Symmistas tuos Prædicãres, qui suum calicem passim non solum aqua miscent, sed ita diluunt, vt vix vinum gustetur? Lege si voles, quæ in meis libellis scripsi.

dist. 3.

HÆRETICVS.

Contra Dei institutum, & veterum Patrum, ac Pontificum decretum, laicis calicem denegant.

COSTE.

COSTERVS.

Profer Christi verba, vbi omnibus Laicis præceperit Calicem porrigi. Dixit semel: *Bibite ex eo omnes.* Sed ex Marco discimus, hoc solis 12. Apostolis præsentibus dictum: ex eo quod ait, *Et biberunt ex eo omnes.* Exemplum vnius speciei sine calice, nobis dedit in Emaus: sicut B. Augustinus, & nonnulli alij veteres tradiderunt. Veteres Patres & Pontifices, quando ad mentem tuam aliquid loqui videntur, probas: alias, vt ineptos, repellis. Tu si potes, vnum adducito, qui primus hunc morem sub vna specie communicãdi induxerit. Fateor olim liberum fuisse, vel vnâ, vel vtráq; vti. Sed si licuit priuato ex causa abstinere: cur non liceat Ecclesiæ, ex iustissimis & grauissimis causis, vnam prohibere? Non quidem omnibus, neque vbique: nam Græci etiamnum vtraque specie vtuntur: sed vbi & quamdiu visum fuerit. Duo sunt Pontifices, qui ista de re loqui videntur: Gelasius, qu[illegible] ad marginem notasti: & S. Leo primus. Sed ille Sacerdotum peccatum reprehendit. Vt enim quidam Sacerdotes fuerunt in Hispania, qui subinde in Missa abstinebant à Sacramenti perceptione: ita erant nonnulli, qui Dominicum calicem non sumebant. Aduersus illos egit Concilium 12. Toletanum: aduersus hos, Gelasius Papa. D. Leo Põtifex ex libertate hac, sub vtráque aut altera specie communicandi, deprehendit Manichæos Roma

Matth. Marc. Luc. 22

Lib. 3. sensu & Ser feria 2. Paschæ

Cap. 2. Compe

qui vinum detestabantur, & ideo à Calice abstinebant : iussit igitur horum occasione, vt omnes Calice vterentur, quoad hæresis illa de mundo sublata esset.

HÆRETICVS.

Plures Missas priuatas, contra Dei verbum, celebrant.

COSTERVS.

Quando primum hæc consuetudo cœpit? Temporibus D. Augustini offerebatur, in domo à dæmonibus vexata, sacrificiũ: sicut superius docui. Hanc iamdudum ante sua tempora, fuisse in Anglia consuetudinem narrat Beda. D. Ambrosius Romæ trans Tiberim vocatus, Sacrum fecit in priuata domo nobilis fœminæ. Et S. Agapitus Papa ad curationem muti & claudi: vt refert B. Gregorius. Affer rogo, primum Authorem, si potes. Quod verbum Dei illud prohibet? profer, si quod habes. Perpetuo verbum Dei iactas, & nihil tuo verbo probas.

nist. ca. linus cius. g. 5.

HÆRETICVS.

Ignota auditoribus lingua celebrant: contra Dei verbum. 1. Cor. 14.

COSTERVS.

Tu dicis Apostolum 1. Cor. 14. cauere, ne ignota lingua celebrentur in templis diuina: ego nego. Vtri credendum? tibíne, cũ tuis Caluinistis: an mihi, cum veteribus, & Catholica Ecclesia? Dico enim Apostolum non loqui de his, quæ ad sacrificium, aut communes & consuetas Ecclesiæ preces attinent:

attinent: sed de exhortationibus, quæ subinde ab aliquibus fiebant: quorum nonnulli barbara & ignota lingua proferebãt mysteria: alij, qui dono interpretationis pollebant, etiam præsentibus aperiebant. Sed de his in Enchiridio latius.

HÆRETICVS.

Et, quod absurdius, ipsi plerúmque panem in tres partes fractum, reliquis non communicantibus, sed tantum spectantibus, soli, contra Pontificum canones antiquos, absumunt. Adeò vt non tam Synaxis & communio, (vt vocant) quam excommunicatio, & Ecclesiæ distractio dici mererentur.

COSTERVS.

Canon Apostolicus & epistola Anacleti Papæ præcipit omnibus Christianis communionem: non quidem quotidie, sed in solennitatibus sacris diebus: quos sanctus Fabianus determinauit. Pascha, Pentecosten & Natalem Domini. Optamus, cum beato Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, & aliis, cereberrimam populi communionem: ad quam passim omnes hortamus, & quantum in nobis est, inducimus: At si nolint, num ideo prætermittetur sacrificium? Eius enim natura non in communione populi, sed in oblatione consistit: cum olim fuerint holocausta, de quibus nemo: & oblationes pro peccatis, de quibus soli Sacerdotes edebãt. Itaque erras hæretice, cum tuo Caluin-

Can. I
De co
dist. 1.
Omne
les. Ej
De co
dist. 2
Hom.
pop. &
3. ad F
Lib. 5
cram.
Serm.
verbis
mini.

nstit. quem non puduit de sacrificio ista scribe-
g. 18 re: *Quia veteres video alio hanc memoriam de-*
torsisse, quam institutioni Domini conueniebat,
excusari nō posse arbitror, quin aliquid in actio-
nis modo peccauerint. Imitati sunt enim proprius
Iudaeum sacrificandi morem, quam aut ordi-
3. *nauerat Christus, aut Euangelij ratio ferebat.*
Mensam nobis dedit, in qua epulemur: non alta-
re, super quod offeratur victima: non sacerdotes
consecrauit, qui immolent, sed Ministros, qui sa-
crum epulum distribuant. Infero: Ergo damnati omnes veteres, qui contra Dei mandatum, & altaria consecrarunt & Sacerdotes, & sacrificium corporis Domini obtulerunt. Viden hæretice nullum ex veteribus (teste Magistro tuo) vestræ causæ patrocinari? Per quos igitur doctrina Christi ad vos deuenit, quam omnes veteres ignorarunt.

HÆRETICVS.

Obiicietur etiam, quod panem in corpus Christi, contra institutionem illius, corporis veritatem, Apostolorum doctrinam, & communem sensum statuant.

COSTERVS.

Da primum huius tanti erroris authorē. Bone Deus: Nulla vnquam minima hæresis, aut error irrepsit in Ecclesiam, quin statim & primus eius author cognitus fuerit, & error explosus. Et in re tanti momenti, in tam enormi idololatria, qua frustum pro Deo colitur & adoratur, non est qui

qui authorem proferre norit? veteres docent hic transmutationem fieri, post consecrationem non esse panem, sed videri: fidem hic, non sensus operari: aliaque plura, quæ in Enchiridio scripsi. At hæc cur, tu nihil? Tu pro absurdo ponis, stultorum more, quod sancti Patres iubẽt summa veneratione suscipiendum.

HÆRETICVS.

Corpus glorioſum quod in Cælis regnat, non alibi, quærendum, in infinitis locis, hoſtiis, & particulis eodem tempore ſtatuunt.

COSTERVS.

Huius fidei non pudet nos: qui Dei omnipotentiam credimus. Veſtra modica, aut verius, nulla fides, hæret in pane & mensa. Inops menſa veſtra: quæ præter panis buccellam, & hauſtulum vini diluti, nihil aliud præbet.

HÆRETICVS.

Deinde quod Sacramentum Euchariſticum ad recordationem beneficij Chriſti, & noſtræ gratitudinis officium excitandum inſtitutum: in ſacrificium proproprium & propitiatorium, ac ſatisfactorium peruertant.

COSTERVS.

Cur nuſquam aſſcribis à quo, quando & vbi talis error emanauit? Cupis ictum lapillorum meorum euadere? At ſuccumbes. Quia initium huius tantæ (vt tu mones)

absurditatis, citra Apostolos & Christum ipsum non inuenies. Consule Enchiridion meum.

HÆRETICVS.

Et, quod absurdius est, non solum in Dei, sed etiam in Sanctorum variorum honorem, variè celebrant.

COSTERVS.

Num dicimus, Offero tibi Petre, aut Paule? Quid mali, si opus bonum in Sancti honorem edamus? Tu in incolumitatem tui Mauritij bibis, & calices euacuas: cur mihi non liceat in honorem B. Virginis Mariæ, aut aliorum Sanctorum, Deo offerre sacrificium? Viden, quam sis ineptus, & absurdus doctor?

HÆRETICVS.

Pro viuis & mortuis celebrant.

COSTERVS.

9. ad Rursus quæro, quis primus? Chrysostomus hãc vocat Apostolicam traditionem. Tu igitur contra Apostolos reformationem tuam moliris. Caue ne te Apostoli Cęlorum regno excludant qui eorum doctrinam laceras & deformas.

HÆRETICVS.

Pro diuersis necessitatibus venalem Missam celebrant.

COSTERVS.

Tu videris, an id quandóque apud nos Sacer

Sacerdos feceris: vt ex facto tuo omnes alios iudices: iuxta Ecclesiasten, *In via stultus ambulans, cum sit ipse insipiens, omnes stultos æstimat*: nobis improbatur Simonię vitium. Eccle

HÆRETICVS.

Trita est illa Pontificiorum Sanctorum & Doctorum quæstio: Vtrum Sacerdos accepto stipendio obligatus ad Missam specialiter pro vno celebrandam, posteà alteri quoque precio Missam addixerit, vna & eadem opera vtrique possit satisfacere.

COSTERVS.

Ignoras quid interfit inter mercedem & sustentationem. Merces simoniam facit: sustentatio obligationem eius, cui bene fit: iuxta Apostolum, *Non alligabis os boui trituranti*. Quicquid sit de quæstione, quam tu insipienter irrides: constat, sustentationem corporis illi deberi, qui spiritalia ministrat. Hoc plus satis intelligunt ciues & Magistratus vestri: quibus vos non gratis vestras hæreses prædicatis. Pluribus enim egetis ad vxorculæ & filiorum educationem, præsertim pro vestra Ecclesiastica dignitate, cuius etiam vxor particeps esse cupit, & meris laicis anteferri, quam Sacerdos vnus, qui sibi soli alimenta petit. 1.C

HÆRETICVS.

Obiectetur etiam, quod hostiam [illegible]es.

pus Christi & Deum suum appellantes, adorent, & adorandum aliis attollant, & circumferant, & in conclauibus reponant, & dicant, Ecce Christus.

COSTERVS.

Graue flagitium scilicet. Et quis hoc primus commisit? Quis Orientem & Occidentem hac artolatria repleuit? Ede nomen, Hæretice, authoris: aut ego te insanum, vt es, non verebor nominare.

HÆRETICVS.

Quæ omnia cum Christi institutione atque interdicto, & veterum Patrum doctrina, grauissimè pugnant.

COSTERVS.

Deus iussit: *Dominum Deum tuum adorabis.* Christus est Deus: ergo adorandus. Christus de Eucharistia clarè dixit: *Hoc est corpus meũ*: non inanime, neque sine diuinitate: ergo adorãdum est in Eucharistia. Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, hoc in Sacramento Eucharistiæ adorauerunt, & suis vt adorarent, præceperunt: sicut in Enchiridio vberius docui: ergo neque contra Christi institutionẽ aut interdictum, neque contra veterum doctrinam facimus. Citas ex Caluino tuo B. Aug. li. 3. de doctrina Christiana, ca. 15. sed ille ibi de mãducatione, nihil de adoratione loquitur. Manducamus Christi corpus, non crudeliter lacerando, sicut Capharnaitæ Christi Domini verba capiebant: sed

sed tropico modo: verum quidem corpus: sed non terendo, aut lædendo, aliorum ciborum more.

HÆRETICVS.

Prophana est eorum sententia, qua aiũt: Si hostia, tempore mortis Christi, fuisset in pixide seruata: Christum non solùm mortem subiturum in Cruce: sed etiam in pixde.

COSTERVS.

Prophanus & indoctus est hæreticus, qui ista obiectat. Ignorat, quid sibi velit, *Hoc est corpus meũ*. Significat enim in Eucharistia tale esse Christi corp⁹, quale in se suáque natura est: In cœna, viuẽs, sed mortale: triduo mortis, exangue & mortuum: nũc viuum & immortale. Si quę historia Eucharistiæ, tempore mortis superfuisset, in illa Christi corpus non nouam subiisset mortem: sed ad eum se habuisset modum, quo visibile de cruce pendẽs. Quid hic absurdi, aut prophani, nisi absurdis & prophanis?

HÆRETICVS.

Turpissima contradictione docẽt, Christum in cœna suum ipsius corpus manu sua gestasse, & ore suo comedisse, & aliis similiter tam impiis hypocritis, quam verè fidelibus, sub specie panis ita comedendũ: dentibus frangendum & atterendum tradidisse.

COSTERVS.

Rursus hic quæro authorem huius (es) pissimæ contradictionis? Propo[illegible]

tidẽda, quę per man^s Sanctorũ ab Apoſtolis accepimus. Superiùs docuimus eadẽ iſta à B. Auguſtino, & D. Chryſoſtomo totidem verbis dici: Sed vt hæreticus es, & indoctus, nihil niſi quod Caluiniſtico palato ſapit, vel guſtas, vel admittis. Quænam eſt cõtradictio, quod Chriſtus ſeipſum manu tenet & manducat? Si innumeris locis eſſe poteſt in Sacramento, cur non in manibus ſuis? Nonne manibus Chriſtus Euchariſtiã geſtabat, ſuiſq; porrigebat, cùm diceret: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum?* Mentiebatur ſanè, ſi non erat corpus ſuũ. Non enim dixit, hoc erit corpus meum, vbi id ſumpſeritis, vel mãducabitis corpus meum: ſed, *Hoc eſt corpus meum*, etiam nunc, dum illud manu teneo. Si verum dixit, erat profectò corpus Chriſti in manibus Chriſti.

HÆRETICVS.

Docent, à muribus, aliísque brutis animantibus poſſe deglutiri, & ab ebrioſis & aliis euomi, & ignibus traditum cęleſtes ſedes petere.

COSTERVS.

Quid abſurdi, quod à beſtiis fateamur Chriſti corpus tangi & manducari? Lacerant ſpecies, non corpus Domini. Grauius eſt quod à peccatoribus edatur: qui id cũ Iuda in animarum ſuarum perniciem ſumunt: ſicut ſol à luto non lædítur: ita nec Chriſti corpus à ſumente.

HÆ

HÆRETICVS.

Itaque non est mirandum, Auerroën Arabem summum Philosophum, absurdis & Cyclopicis ac Canibalicis illis Capharnaitarũ Pontificiorum, doctorum impietatibus offensum, dixisse: *Quoniam Christiani manducant Deum, quem adorant: sit anima mea cum philosophis.*

COSTERVS.

Tria hic dicam. 1. Has absurdas, Cyclopicas, ac Canibalicas impietates non nobis solis, qui modò per vniuersum Orbẽ sparsi sumus, Catholicis: sed antiquis etiã Patribus, qui (vt suprà dixi) eadẽ docuerũt, nobísque tradiderunt, impingi: Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, & cæteris omnibus. Vide, ne tu grauiorem incurras impietatẽ: qui tantæ absurditatis & impietatis vniuersum Orbẽ, istius, & tot sæculorũ iam præteritorum condemnas. 2. Capharnaitas in Christi iudico vobis prę ferẽdos. Illi enim Christi aperta verba, sicut ab ipso dicta sunt, acceperunt. *Quomodo* (inquiunt) *potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Vos neque creditis, neque intelligere vultis. 3. Vobis melius cum impio Auerroë conuenire, quam nobiscum: vt malis animam tuam esse cum Auerroë, quàm cum Catholicis. Mirandum tamen est, philosophum illum summum de vestra Ecclesia illo tempore nihil inaudiuisse. Vbi latebãt tui anno 1140. cum ipse in Hispanis Philosophum & Me-

Ioan.

dicum ageret? Agnoscebat Christianorũ doctrinam, vbique terrarum notam: vestram ignorabat, necdum ex Caluini ouo exclusam. Vos sanè pro Christianis nõ haberet, qui Deum vestrum neque comeditis, neque adoratis: quia symbolum Christianorum semper fuit, Deum suum comedere, & adorare.

HÆRETICVS.

Non propterea à Romana Ecclesia abhorremus, quod multi inter vos extent Episcopi, Sacerdotes, & Monachi sceleribus cooperti: sed quod doctrina sit impura.

COSTERVS.

Meritò nemo ab Ecclesia Romana deficere debet ob multorum Ecclesiasticorum vitam impiam, & sceleribus, (vt dicis) cooperta: tũ quòd primi eius per vniuersum Orbem fundatores, sanctitate vitæ, & miraculis claruerint: tum quod mirum nõ sit, 150. annis, quibus Ecclesia nata stetit & orbẽ occupauit, inter innumeros sãctos viros, etiam immixtos improbos multos: tum quod quàmplurimos certo, diuinoque testimonio sciamus ad cælos commigrasse ex his, qui fidem nostram Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ ad finem vsque retinuerunt: tum quod doctrina nostra cũ veterum Patrum doctrina & fide per omnia conueniat: neque eius initium, nisi in Apostolis inueniri possit. A Caluinistarum a non pauciora me deterrent. Primò, quod

quod qui initium illi dederunt, nulla fuerint virtute conspicui, sed multis conspurcati vitiis, quæ de Luthero, Caluino & Beza libellis meis inserui, nõ ex me: sed ex fide dignis accepi: quibus sua etiam fides debetur. Ioannes Aurifaber Luthero cacarissimus & intimus, in sermonibus conuiualibus præstantissima quæq; Colloquia Lutheri Magistri sui, summa industria collegit. Hæc autem erant ferè de stercoribus, quibus eius libri replentur, vel de dæmonibus, quibus valdè familiariter, præsertim solus ab occupationibus vacuus, vtebatur. Hinc eo adhuc superstite, quidam hoc epigramma conscripsit:

Stercora cũ præ se ducat quoscumq; Lutherus,
Oréque spurciloquo nihil nisi stercus habet:
Nũ, rogo, stercoreũ dicas hunc esse Prophetã?
Qualia verba viri, talis & ipse vir est.

Hieronymus Bolsec impietatem, tyrannidem, sanguinarium, seditiosum, factiosum Caluini animum, & Bezæ spurcitias, in lucem edidit. Huius sodomia tam nota est Germanis, vt Caluinista quidam Francofurti huius sceleris accusatus, per Bezæ facinus se purgarit, & euaserit: historiam meis libellis inserui. Fratrem Thomam Thieldium, monachum Cisterciẽsem, ante 60. annos probè noui. Nihil illi, vel Greuinchouio, vel cuiquam impositi, cuius me pœniteat. Ipsi viderint, quomodo in Dei conspectu viuant. Thieldium scio vos, non ab hæresi tractũ, sed à meretri-

cula

cula sua Lirana, cuius vterus intumescebat, ad fugam in Germaniam actum: non sine furto aliquot millium aureorum, quos Monasterio suo surripuerat. Hoc igitur dico, eos, qui se pro Ecclesiæ reformatoribus venditãt: & vitam impiam, impuram, & sceleratam ducunt: non esse admittẽdos. *Secundò*, me deterret communis Prædicantium vestrorum vita. Necdum 70. annis viguit Caluinissimus vester, & paucos videmus Ministros, qui non sint vel apostatæ Monachi, vel votifragi Sacerdotes, vel impuri scortatores, aut adulteri. Si hæc initia: quis expectandus finis? *Tertiò*, Quod nullo hactenus diuino testimonio cuiquam constet vel de sanctitate vitæ, vel de salute alicuius vestrum. Nemo Caluinista infernum euasit. Stultum est, ad eos transire, ex quibus nemo saluatur. *Quartò*, Quod doctrina vestra è veteribus omninò dissentiat: à quibus tamen & sacras literas, & Christianismum accepimus. Dicis, consentire, numerous cum Scriptura conueniunt. Hoc idem est, ac dicere, nos Patribus consentimus, quatenus ipsi nobiscum consentiunt. Scriptũra enim ad quod eos collimatis, non est Dei verbum in sacris literis scriptum, sed hæreticus vester sensus, ad quem scripturas detorquetis. Proindè quod dicis, Nos à Scripturis ad Traditiones transire: vos à traditionibus ad Scripturas prouocare

uocare : tam ridiculum est, quam falsum. Nos enim ab hæresi vos prouocamus ad veritatem : vos autem à veritate & genuino intellectu ad hæreticum errorem. Quod, vt Lector intelligat, exemplo palam faciam. Vos vultis Sacerdotes matrimonia inire. Huc adducitis scripturam : *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum.* 3.7 Nos scripturam admittimus, & summa veneratione amplectimur, ne dicas literas sacras à nobis abiici: sed contendimus, his verbis ab Apostolo non dici, quod vos dictum vultis. Vos vultis hic præcipi, aut permitti Sacerdotibus omnibus connubia: nos id negamus ab Apostolo dici : damusque hunc sensum: Non esse ad sacerdotium admittendum, qui plures vna habuerit vxores: hoc est, qui fuerit bigamus. Sicut eadem epistola ait, Non admittendam in viduarum collegium, nisi quæ fuerit vnius viri vxor : hoc est, quæ non nisi vni marito vnquam nupserit. Ergo de sensu est contentio, non de verbis. 5.11 Vtrorum autem intellectu verior sit, vnde cognosces? Nõne ex veterum Patrum interpretatione: qui sicut nobis textum scripturæ tradiderunt, ita etiam veram earum intelligentiam exposuerunt? Est hoc à Scriptura prouocare ad traditionem? Videsne, hæretice, quibus sophismatis indocti popelli tui oculos fascinas? Dicis, vos à sophismatibus

bus esse alienos, sed iis nos passim vti. At ego iam sæpè hoc libello sophisticos tuos elenchos, ex variis fallaciarum locis aperui. Tu si quid simile in me deprehenderis, quæso ne occultes. Cupio enim tecũ agere candidè, & sine fuco, aut ambagibus. Fortè Deus cor tuum emouet, vel tu me conuinces, atque ad vestrum aggregabis gregem. Quod futurum est, si propositionibus meis categoricè (vt scholæ loquuntur) & ad formam respondeas.

Dicis te à nobis abhorrere, propter doctrinæ impuritatem. Sed cur ad partes Caluini potius, quã ad Lutheranos, Anabaptistas, aut Triteistas commigrasti? Adfer rationem, qua illi vicissim contra vos vti nequeant. Vt enim vos nostram & illorum doctrinam impuritatis accusatis: ita illi, & nos vestram. Vtri rectè, quis iudicabit: nisi Patrum consensus, & veteris Ecclesiæ Catholicus vsus? Ab eo sanè non est discedendũ, nisi clarissimis scripturis cogaris. At quicquid tandem nostram impuram (vt loqueris) doctrinam de sacris literis adfers, eiusmodi est, vt nobis magis quam vobis faueat: non ob veterum tantùm nobiscum consentientẽ explicationem, sed ob verborum & contextus claritatem.

Quid clariùs dici potest, quã, *Hoc est corpus meũ*. Et, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei?*

Et

et his tamen nos accusatis tenebrarum: quas ipsemet densissimas offunditis Auditoribus vestris.

CIRCA CAPVT XVI.

HOc capite instruxeram in Enchiridio discipulos nostros in modo cum eis agendi, qui vel ad hæreticos defecerunt, vel in fide nutant. Quibus tria proponenda præscripseram. *Primum*, Ob quas causas Ecclesiæ Catholicæ communionem deseruissent. *Secundum*, Cur se potius ad hanc, quam ad aliam sectam contulissent. *Tertiũ*, Vt vel vnum producant, qui antè Lutheri tempora cum ipsis in omnibus senserit: Videat Lector, quam probè ad hæc hæreticus noster.

Quæstione prima.

HÆRETICVS.

De hisce punctis tuis non est cur multum laboremus. Nam vt frequens, immò perpetua quæstio est, quam aduersarijs vestris occinere soletis, (& aduersus hæreticos valere põt) nimirum, ob quas causas ab Ecclesia recesserint, & totius orbis societate ac cõmunionem deseruerint? Ita facilis &

lis & expedita noſtris fratribus eſt reſponſio: vos id fruſtra Romanæ Eccleſiæ arrogare, & nobis derogare, quod probare non valetis.

COSTERVS.

Duo dicis. 1. Hanc quæſtionem aduerſus hęreticos valere. Infero, Ergo aduerſus vos quos ſicut vniuerſus mundus iamdudum hęreſeos damnauit, ita vobis hæreticorum definitio conuenit, quemadmodũ ſuperius demonſtratum eſt. 2. Nos fruſtra id Romanæ Eccleſiæ arrogare, vobisque derogare, quod probare nõ valemus. Quidnam illud eſt quod probare non valemus? An quod Romana Eccleſia totum occupet Orbem? At illud luce clarius patet. Cuius fidei exercitium apud Chriſtianos, ante Lutheri tui aduentum, in Italia, Gallia, Hiſpania, Germania, Anglia, Scotia, Polonia, cęterisque Chriſtiani orbis prouincijs & regnis viguit, & in vſu erat, prętерquam noſtræ Romanæ Eccleſiæ? Vis fortè non [illegible] nobis exiſſe, ſed nos à vobis? [illegible] ad has ineptias riſum teneas? Si non tu, at pater, aut auus tuus in Eccleſia noſtra Romana vixit, Niſi fortè ex Iudæis prodieris, aut ex Mahumetanis ad nos veneris. Velim te clarè loqui quid nobis arrogemus, & vobis derogemus, quod probare non valemus. Tenebroſa verba perturbatam indicant mentem quæſtione irretitam, vnde ſe extricare [illegible] ſciat.

HÆ

HÆRETICVS.

Antiquitatem iactatis? hac parte ne latum quidem vnguem, Prophetarum & Apostolorum authoritate freti, cedimus.

COSTERVS.

Totidem verbis hoc dicent Lutherani, qui vos detestãtur, & Anabaptistę, quos vos in hæreticorum numero ponitis: immò quondam Ariani, Macedoniani, cæteríque omnes damnati hæretici. Omnes iactãt Prophetas & Apostolos: sed falsò, sicut vos. Ede causã, cur pro vobis stent Prophetæ & Apostoli, quam illi proferre nequeant. Itaque noui estis omnes, & vos inter nouissimos: quia Apostolica doctrina sine successione ab Apostolis ad vos non peruolauit. Sicut enim ab vna in aliam ciuitatem non peruenitur sine medio itinere: ita qui viam nullam habent, hoc est, successionem, per quã Apostolica doctrina ad ipsos transijt, stultè de Apostolica doctrina gloriantur. Ad nos venit Prophetarum & Apostolorum fides ab Apostolis, successione non interrupta. Aut tu doce, quo loco, vel tempore, & à quo corrupta fuerit.

HÆRETICVS.

Patres obtendis? Quàm parum vos iuuent, immo quam acriter errores vestros refellant, & ante sępius ostendi, & in operis huius progressu plenius & planius demonstrabo.

COSTE

COSTERVS.

Mendacium & minæ: Mentiris te ostendisse, vanè minaris te ostensurum. Tu mẽdacio tuo confundere, nos minas tuas ridemus.

HÆRETICVS.

De comdemnatione verò quod mones, quibus quæso rectius, si ex rei veritate & animi sedati sensu iudicare velis competet, quam vobis: qui plurimas pias orthodoxorum sententias, Conciliorũ vestrorum decretis damnatis, & ita sentientes anathemate feritis?

COSTERVS.

Agnosce Sophistam. Ego in Enchiridio meo dicebã, necessariò colligi, veteres Maiores omnes ab hæreticis damnari, si eorũ fidem non tenuissent. Ad id autẽ comprobandum (vt ex rei veritate, & sedati animi sensu iudicemus) hæ duæ ratiocinationes primi modi primę figurę multum valebũt.

Quicunq; carent Caluinistica fide, carent vera fidde:

Omnes veteres Patres nostri Caluinistica fide caruerunt,

Ergo etiam vera fide.

Propositio, Caluinistarum est: (idem esto de cæteris hæreticis iudicium) qui propterea nostram deseruerunt, & suam retinent, quod sua sola sit vera, reliquæ impię & falsæ. Assumptio, ex veterum scriptis & gestis, manifesta est: quia omnes adorauerunt Christi corpus in Eucharistia, omnes orarunt

runt Sanctos, sacrificium pro viuis & defũctis obtulerunt, eaque omnia, quæ nos obseruamus præstiterunt, quæ Caluinistis alijsque abominanda sunt & idolorum cultus. Alter Syllogismus esto.

Quicunque vera fide carent, damnantur.
Veteres omnes vera carurunt fide.
Ego damnati.

Propositio est Scripturæ: *Sine fide impossibile est placere Deo*: Et, *Qui non crediderit condemnabitur*. Assumptio est prioris Syllogismi conclusio. Mel Mat

Quid ad hæc hæreticus noster? *Vos multos orthodoxos damnatis, & anathemate feritis.* Orthodoxos appellat Vviclephum, Hussum, Vvaldenses, Lutherum, Caluinum, atque id genus portenta: Orbis pestes, & hæreticos damnatos. Agitque Sophistam, *fallacia secundum non causam vt causam*: Vos damnatis orthodoxos, ergo nos non malè veteres omnes. Non secus atque si latro sic colligeret: Magistratus occidit fures, latrones, sicarios, falsarios, aliosque impios: Cur ergo non licet [illegible] occidere viatores & peregrinos, qui in manus nostras incidunt? Ita iste: Vos damnatis hæreticos, cur ergo nobis non conceditur damnare omnes veteres? Respondeo. Quia orthodoxi tui, id est, hæretici, fide carent sine qua impossibile est placere Deo: Veteres suam innocentiam & sanctitatẽ multis signis declararunt: vestri orthodoxi, impij & extra Ecclesiam, vbi non est spes salutis: Nostri in sa-

iores, ſancti. Conſidera Lector, ab hoc hæretico non haberi pro abſurdo, quod omnes Maiores noſtri, qui Caluini hæreſim non tenuerunt, ſint damnati: Nemo igitur his mille annis toto Orbe ſaluus: quia nemo Caluiniſta.

De Quæſtione ſecunda.

HÆRETICVS.

Quærat aliquis veſtrum à noſtris fratribus, (Caluiniſtis) quamobrem Arianorum, Pontificiorum, Anabaptiſtarum doctrinam auerſentur? Reſpõdebunt illi: Eò ſeſe pertrahi, quod Dei verbo, & orthodoxæ antiquitati repugnantes comperiant.

COSTERVS.

Quærat aliquis à Lutheranis, Anabaptiſtis, Triteiſtis: quamobrem Caluiniſtarum doctrinam auerſentur? Reſpondebunt illi, eò ſeſe pertrahi, quod Dei verbo & orthodoxæ antiquitati repugnantes comperiãt. Idem ſi quæratur ab Vtriſtis, Græcis, Arianis, alijſque Sectarijs, ſimile reſponſum reportabunt. Quid ita? Quia quot ſunt hæreſes, tot ſunt Dei verba, atque Scripturæ. Arianorum Scriptura habet filium Dei inæqualem Patri: Macedonij ſcriptura non hoc, ſed Spiritum ſanctum non eſſe Deum: Neſtorij, neutrum: ſed in Chriſto duas eſſe perſonas, diuinam & humanam: Lutheri, nihil horum, ſed cum pane eſſe in Euchariſtia

stia reipla corpus Domini: Caluini nec hoc quidem, sed esse illic merum panem, nulla vel mutatione panis facta, vel noua accessione Dominici corporis. En quinque Euãgelia prẽter innumera alia, quę sibi passim hæretici ad arbitrium quisque suum confinxerunt. Caluini igitur Euangelium nihil est aliud, quàm farrago hæreseon & errorũ eius: nihil habens cõmune cum verbo Dei. Idem esto iudicium de Euãgelijs Lutheranorum, Anabaptistarum, omniumq; recentiorum & veterum hęreticorum. Hem Caluinista, viden'te nihil dicere noui: quod nõ ab hæreticis omnibus vsurpetur? Dicant fratres tui quod non possint alij. Vera igitur quæstionis, cur Caluino & non Anabaptistis te iunxeris, hęc est solutio: quod eius cacodoxia tibi magis veritati consentanea videatur, hoc est, tuo palato magis sapiat, vt sis inter tot Euãgelia hæreticus, hoc est, electo[illegible]. Si mentior, da rationem aliam prẽter tuum videri.

[illegible]RETICVS.

Scisciteur iterum Pon[illegible]ius, Quamobrem, quum in plerisque religionis capitibus, ipsoque fidei fundamento, cum magno illo Dei seruo Martino Luthero sentiamus, in doctrina de cæna Domini, & præsentia corporis Christi, ab eodem dissideamus? Respondebunt nostri, quod hac parte veteris fermenti Pontificii in Luthero reliquias deploremus: easque ex

Dei

Dei verbo, Sacramentorum & corporis Christi naturis, & articulis fidei repurgare coacti simus.

COSTERVS.

Sciscitetur quispiam ab Anabaptistis, quum in plerisque Religionis capitibus, ipsoque fidei fundamento cum Caluino sentiant, in doctrina tamen de baptismo paruulorum, alijque nonnullis ab ipso dissideant? Respondebunt, Quod hac parte veteris fermenti Pontificij in Caluino reliquias deplorent, easque ex verbo Dei & Sacramentorũ naturis, & fidei articulis repurgare sint coacti. Quid noui dicis Caluinista? Hic porrò obserua, Lector, huic hęretico magnum Dei seruum esse Martinum Lutherum. Ironicè ne, an seriò loquatur, nõ immeritò dubitari potest. Lutherus enim Christi corpus docuit in Eucharistia nõ solum adesse, sed in cœna quoque adorandũ esse. Et eius discipulus Kemnitius affirmat, *Nullum esse qui dubitet, an Christi corpus in cœna sit adorandum: nisi qui cum Sacramentarijs aut neget, aut dubitet, in cœlis esse Christum esse præsentem.* Non ergo Lutherus cum suis Idololatra? Quomodo ergo magnus Dei seruus? Caluinistæ adulantur Lutheranis. Cuperent eos socios, aut eis esse socij, & eorum titulo nominari protestantes, irrepereque in Germaniæ prouincias, ac præsertim in Cameram Imperialem Spirensem: vt sicut Galliam, Angliam, Scotiam, ita etiam imperium subdant iugo

Calui-

Caluiniſtico. Non ſine ratione loquor: qui ſpiræ eram, cum tale quid callidè moliebantur. Nobis ſanè magnus fuit Lutherus: ſed Draco, & Antichriſti cum Caluino præcurſor. Cui ad Inferos properanti, omneſ occurrêre tartareæ Legiones: vt eſt widere apud Brædenbachium, ex vera & nota hiſtoria. Colla. ca. 39.

De Quæſtione tertia.

HÆRETICVS.

Cum tertium hoc præceptum iam antea ſæpius, & præſertim capite ſeptimo, à nobis refutatum ſit, ne importunè eadem repetantur, ad illa loca diligentem lectorem remittimus.

COSTERVS.

Quæſtio eſt: Quiſnam ex tot miriadibus hominum, qui ab Apoſtolorum temporibus ad ortum vſque Lutheri vixerunt, Caluini doctrinam in omnibus tenuerit? Contendo enim neminem quidem ab orbe condito, ſeu Catholicum, ſeu hæreticum, cum hodiernis Caluiniſtis per omnia conueniſſe. De Catholicis nulla quæſtio. Hæretici quoque, tametſi plenáq; docuerint, quæ ab ipſis mutuati ſunt Caluiniſtæ (qui ex omnibus ſterquiliniis ſua ſtercora collegerunt, & ad ea, de ſua aluo noua deiecerunt:) tamen & ſua habent, quæ non probant iſti: & hi coaceruarunt farra-

gitem in omnibus, quæ nullis aliis sapit. Quid ad hanc quæstionem hæreticus noster? Remittit lectorem ad caput septimum, ne eadem importunè repetantur. Prudenter sanè. Nam veretur repetere ridiculam & sophisticam solutionem. Illic enim dixit, se recipere Patres omnes, quatenus cum literis sacris consentiunt. Et quis doctissimorum illorum virorum à Scriptura dissensit? Sancti Basilius & Nazianzenus tredecim annis simul in eremo, nulli alteri rei, quàm sacris literis vacarunt: Illarum sententiam non ex proprio ingenio, sed ex Maiorum ratione & authoritate interpretantes. D. Hieronymus Biblia in Latinum conuertit, & magna ex parte Commentariis illustrauit. Athanasius, Chrysostomus, Epiphanius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, cæteríque Ecclesiæ Doctores, an sacras literas ignorarunt, quibus & populos sibi commissos erudierunt, & hæreses exterminarunt? An hi, quos Ecclesia doctorum suorum titulo honestauit, tantilli sunt, vt post mille annos examini Caluinistarum subiici debeant: & ab isto inepto pseudodidascalo ad normam Scripturæ reformari? An in Scripturis latere aliquid potuit illos, quod vos scitis? Viri erant sanctitate & miraculis conspicui, omni scientia ornati, & à Spiritu sancto instructi. D. Chrysostomo scribenti in Paulinas Epistolas Commentaria, astitit beatus Paulus,

Paulus, ei quæ ſcribenda erant ſuggeſſens: vt Proclus eius Miniſter, oculatus teſtis referebat. Beato Gregorio columba, hoc eſt, Spiritus ſanctus, quem eius Amanuenſis in ſpecie columbæ ad eius aurem vidit, dictauit quæ in Ezechielem ſcripſit. Et quinam eſtis vos tantorum Doctorum reformatores? Viles Ramunculi in ſummos viros ineptè coaxantes, & impuri pulices exilientes ſuperbia, recidentes vitæ impuritate. Pudet me vos coram ipſis mutire vel hiſcere? & audetis magno faſtu hæretico vos ipſorum conſtituere Magiſtros & Iudices? Nemo miretur. Hæretici ſunt, ſuperbi, inflati, momi, bonorum contemptores, qui ſibi omnium iudicium arrogãt. Sed vt fucum eorum videas, & indoctum ſophiſma cognoſcas, nomine ſacrarum literarum non textum Bibliorum (quem ſanctiſſimi Maiores noſtri & ſumma veneratione tenuerunt, & probè intellexerunt, nobiſque doctiſſimis [illegible] explicuerunt) ſed ſuos errores, quos ex [illegible] quibusdam ſcripturarum commentitia [illegible] & noua interpretatione corraſerunt, intelligi volunt. Iam ante dixi, tot eſſe ſcripturas aut Euangelia, quot hæreſes: dum vnuſquiſq; hæreticus earum particulas ad ſuum ſenſum & voluntatem trahit. Itaq; ſacræ literæ, ad quas iſte vult collimare Patres, ſunt hæreſes eius: quas ille ex Euangelio, ſicut araneus venenum ex floribus, ſugit. Quia

igitur Caluini Euangelium damnat & reiicit Missæ sacrificium, cultum imaginum, orationes pro defunctis, Sanctorum preces, corporis Christi in Eucharistia adorationem, septem Sacramenta, creaturarum benedictiones, liberum arbitrium, bonorum operum merita, aliáque pro cuiúsque gustu & voluntate: Patres autem nihil horum à vero Christi Euangelio cautum vel damnatum intellexerunt, sed summa veneratione ea omnia & coluerunt & obseruarunt: Fit vt à Caluinianis reformari debeant, atque ex scriptis eorum deleri, quod cum Caluini Euangelio & doctrina non quadrat. Vt igitur ineptias huius Sophistæ videas, disce ex his quæ iã dicta sunt, eius verba in verum sensum resoluere. Nam dicere, *Admittimus Patres omnes, quatenus cum sacris literis consentiunt*: nihil est aliud, quàm, Admittimus eos in his tantum, in quibus à nostra doctrina non dissentiunt. Quod non de sanctis patribus modò, sed de quibuscunque etiam aliis, seu hæreticis [illegible], seu Gentilibus, à quolibet dici potest. Recipio enim Aristotelis, Platonis, Socratis, Pithagoræ, immò Epicuri doctrinam, quatenus conuenit cum doctrina Ecclesiæ: Item Iudaicorum Rabbinorum, quatenus nobiscum consentit. Idem esto iudicium de doctrinis Arij, Macedonij, Nestorij, Nouati, cæterorúmque hæreticorum: quorum nullus omninò fuit, qui non aliquid conueniens cum Christia

Christianismo dixerit. Iam intelligis Lector, sophisma petitionis principij. Ego obieci: Nemo ex tota antiquitate per omnia vobiscum conuenit: Ergo doctrina vestra recens est: & à maioribus ad vos non deducta. Negat antecedens: Cuius rationem in rei veritate (vt iam docui) non aliam reddit, quàm, quia consentiunt nobiscum, in his quæ doctrinæ non repugnant: hoc est, consentiunt in his, in quibus consentiunt. Firma est igitur Propositio mea, quod vobiscum non conueniant in omnibus, sed in illis rebus tantum, quæ vobis non displicent. In plurimis autem non, quæ displicent.

HÆRETICVS.

Vt insolentem hanc gloriationem Costerus deponat, meminerint orthodoxi (*Caluinistæ*) ex iusta talionis lege, ab eo postulare, vt vel vnum primis, post Apostolorum tempora, sexcentis, imò mille annis, qui idem in omnibus cum hodierna Costeri & Pontificiorum doctrina senserit demonstret. Costere, quum id præstare nullo modo possis, quæso, veritati. Da gloriam Deo, exeundo eius ex Babylone, ne peccatorum contagione ruina illius obruaris.

COSTERVS.

Videris magno salutis meæ desiderio teneri. Ego hãc vt assequerer ante annos 50. per Christi gratiam, mundum deserui, atq; ad hanc societatem IESVM me aggregaui.

Necdum mihi tunc, nisi valdè obscurè innotuerat Ecclesia vestra, quando Lutherus ferè solus (præsertim in Germania) obtinebat. Nihilominus qui post liminio ad veritatem redit, non omninò ferò sapit. Accipio igitur conditionem: ad vos festinus accurram, si quæ toties à vestris postulaui, tu mihi dederis. Cauendum enim mihi est, ne hac senectute mea ab equis descendam ad asinos: & ne, cogitans planum iter tenere, in foueam incidam. Video fidem nostram per omnia cum fide Maiorum nostrorum conuenire, qui ante 1100. 1200. 1300. 1400. annos vixerunt. Nobiscum senserunt Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, & sancti Latini, Græci, Syríque omnes. Cuius rei mihi quatuor sunt argumento. 1. Eorum scripta: quæ nostram doctrinam disertè tradunt: vt paulò ante à me dictum est. 2. Incorrupta & immutata doctrinæ nostræ successio: cuius corruptionis neque author, neque locus, neque tempus à quoquam [illegible] nominari, vel indicari potuit. Omnium sanctorum Patrum & Episcoporum summa cum Romana Ecclesia consensio.

Hanc autem Ecclesiã Romanam in doctrina religionis nullã vnquam instituisse mutationem: præter antiquos Pontifices, *a* Siricium, *b* Eusebium, *c* Marcũ, *d* Lucium, &c. Fatentur multi alij veteres, qui Romanorum Pontificum seriem, vsq; ad sua tempora

pora recenſent. Sanctus *a* Irenæus martyr vſque ad Eleutherium. *b* Optatus Mileui tanus vſque ad Siricium. Beatus *c* Augu ſtinus vſque ad eius ſucceſſorem Anaſta ſium. Idem nemine contradicente palam affirmauit Paſchalis, eius nominis 2. anno Domini milleſimo centeſimo ſecundo in Concilio Lateranenſi. 4. Modi & regulæ viuendi: quæ à veteribus præſcriptæ, etiã num ab ipſorum poſteris obſeruantur. Conſtat ante mille annos, beatum Baſilium Græcis, D. Auguſtinum & Benedictũ Latinis præſcripſiſſe regulas, & Monaſticos Ordines inſtituiſſe: qui vigent & præſcriptos viuendi modos retinent. Valdè liberaliter nobis offers primos mille annos, poſt Apoſtolorum tempora. Fortaſſè immemor tui Caluini, qui beatum Gregorium poſtremum fecit Romanum Pontificem: qui ſedit vſque ad annum ſexcenteſimum quartum. Non etiam memor circa annum ſexcenteſimum duodecimum [illegible]onifacio 4. Templum omnium Deorum Ro[illegible] Deo, in honorem B. Virginis & omnium [illegible]um dedicatum eſſe. Et ſequenti ſæculo Germaniam à S. Bonifacio, aliiſque Monachis fidem Catholicam accepiſſe: qui cum eſſent obſeruantiſſimi regulæ à B. Benedicto circa annum 530. conſcriptæ, à Rom. Pontif. iuſſi, plantauerunt nobis Catholicam fidem. Fortè etiã nõ memineras, doctiſſimos Monachos Bedã & Damaſcenũ eodem ſæculo

vixisse, & 7. Synodum Nicænam contra Iconoclastas anno 787. 350. Episcopis celebratam esse. Non recordabaris Caroli Magni tot Monasteriorum fundatoris: nec Rabani Mauri, qui de Ecclesiasticis ritibus multa scripsit. Neque Gulielmi Ducis Aquitaniæ, qui Cluniacense Monasterium circa annum 890. inchoauit: Neque Odilonis, à quo festum Recordationis defunctorum initium accepit. Hos omnes nobiscum in omnibus, sensisse Monastica ipsorum instituta, & vniformes Ecclesiastici ritus ab ipsis relicti manifestè declarant. Præterea video ex nostra Ecclesia multos claros miraculis ad æternam beatitudinem in cælos cõmigrasse. Qua ex re mihi constare potest hanc viam ab æterna salute non abducere. Hinc serio mihi ante commigrationem meam ad vos, considerandum ne deterius quid mihi accidat. Scio quid teneam, neque faciẽda mihi est commutatio, nisi in melius. Proinde si me vobiscum, sicut præ te fers, cupis, doce successione non interrupta fidem [illegible]tram ad vos defluxisse. Deinde testimoniis à vestra fide ad æternã cæli gloriam peruenire. Profer exempla eorũ, quos post Caluinum saluos cõstat. Doce denique nouis & certis argumentis, cur mihi sit potius ad vos transeundum: quam ad Anabaptistas, aut Tritheistas, aut Lutheranos. Sint autem talia argumenta, quibus ad me inducẽdum alij sectarij vti nequeãt. Hactenus enim

enim toto istius libelli tui discursu nullum aliud tuę doctrinę fundamentū vidi, quàm 1. nihil extra sacram scripturam admittendum esse. 2. Doctrinam vestram cum sacris literis conuenire prius falsum esse, vel ipsa Scriptura nos docet: quę à nemine pro Dei verbo recáperetur, nisi nobis Ecclesiæ authoritas eam traderet. Alterum perinde vsurpant alij Sectarij atque vos: qui vobis in iactanda scriptura non cedunt. Si ad hæc mihi solidam transmiseris responsionem, ingenuè coram vniuerso mundo tibi addico, sicut alijs fratribus tuis sæpè cõfirmaui, me valedictis Iesuitis, atque Põtificijs, ad vos recta commigraturum. Doce te nõ verbis fucatis, sed ex animo dictis, meæ salutis desiderantem esse. Si autem quod postulo præstare nequis, tu ipse ex Babylone Caluinistica ad nos excede. Hîc enim pax est animi, & sola via salutis. Extra hanc Ecclesiam qui ambulat, errat: qui discit, ded iscit: qui sapit: [illegible]sipit: qui perit.

PERORATIO AD BEATISSIMAM Deiparam Mariam Virginem.

HAnc Apologiã aduersus hostẽ quendam tuum, perulantẽ, proteruum, arrogantem, blasphemum, hæreticum, à me conscriptam, Maiestati tuæ dedico, castissima Dei Mater, glorioſissima virgo MARIA, Regina Cęlorum & Sanctorum omniũ; porta paradysi, Domina mundi, speculum iustitiæ, sedes sapientiæ, causa nostræ lętitiæ, salus infirmorũ, consolatrix afflictorum, refugium peccatorum, auxilium Christianorũ: Ad te confugimus, tot m[illegible] in hac lachrymarum vall[illegible]icti. Quia tu es vita, dulc[illegible]o & spes nostra. Tua puritas tan[illegible]a est, vt sine peccato originali c[illegible]cepta, à peccatis prorsus omnibu[illegible]te immunem conseruaueris. Tua [illegible]aiestas tãta, vt supra te solus sit De[illegible] infra te, quicquid nõ est Deus. [illegible]a potẽtia tanta, vt in filio tuo omnia

nia poſſis. Tu contriuiſti caput ſerpentis. Tu cũctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. Coram te cõtremiſcunt inferorum portæ. Tu aduocata noſtra ad Deũ. Tu mediatrix noſtra ad Dei, tuumq; filium. Tu gloria noſtra, conſolatio noſtra, lætitia noſtra, exultatio noſtra. Et licet hæretici inuidia crepent, ad hos tuos honoris & gloriæ titulos: tibi tamen eos deferimus, & laudem dicimus, nõ quantam mereris, ſed quantam mens noſtra anguſta & infirma capere poteſt & deferre. Rogamus, obſecramus, ſupplicamus, admitte preces noſtras, hæreſes cõtere, hæreticos conuerte, reduc errantes in viam; fidelibus tuis, qui in tua pietate cõfidũt, da virtute cõtra hoſtes tuos, & huic libellulo in tui [illegible] cõſcripto, inde vim tuã: vt obduratos emolliat, peruerſos corrigat, debiles corroboret, ſanos cõfirmet, omnibuſq; Catholicis animos addat. Per IESVM Chriſtũ filiũ tuũ, Deũ omnipotẽtẽ qui per te ad nos venit: qui tibi nihil negabit, qui per te humano generi omnia bona largitur. Amen.

Cæterùm ne quis hæreticas his titulis offenſus, nouitatis me accuſet, ſubiungã B. Ephrẽ Diaconi Ediſſeni orationẽ, qua ante 1200. annos ſanctiſſimam Dei matrẽ inuocauit: à nemine vnquam hoc nomine reprehenſus.

INtemerata, prorſuſq; pura virgo Deipara, Regina omniũ, ſpes deſperãtiũ, Domina mea glorioſiſſima, eadẽq; optima, ſublimior Cælicolis, purior Solis radijs & ſplẽdoribus, honoratior Cherubin, & polyomatis (id eſt multoculis) ſpiritibus, Sãctior Seraphin, & nulla cõparatione cæteris omnibus Superis exercitibus glorioſior, Spes Patrum, gloria Prophetarũ, Apoſtolorum præconium, & [illegible] martyrum: Sanctorũ [illegible], & lumẽ ſtudioſorum Abraham, Iſaac & Iacob: Decus Aaron, Moyſis ſplendor, & Gedeonis vellus, Hierarchiarũ cẽtus, & omnium Sanctorum & Virginum corona, ob fulgorem inacceſſa: Acerra aurea, lucerna micãtiſſima, cæli Manna geſtans, tabula ſcriptam

nã legẽ ferens mortalibus, arca vera, charta diuiniſſima, omnium princeps, circumſpecta & lucifera virgo, cõſolatio ſanctiſſima, & omniũ dux ſacratiſſima puella. Per te recõciliati ſumus Chriſto Deo meo, filio tuo. Tu peccantiũ, & auxilio deſtitutorũ adiutrix. Tu portus procella vexatorũ: ſolatium mundi, carcere clauſorũ liberatrix celeberrima. Tu orphanorũ ſuſceptio Tu captiuorum redemptio. Tu ęgrotantium exultatio, & omniũ ſalus. Tu ſolitariorum ſtabilimentũ, & ſpes mundanorum. Tu virginũ decus, corona & gaudiũ. Tu mundi lætitia. O Domina Princeps, Regina præſtãtiſſima, & perquàm benedicta [illegible]neranda, Dominorũ Domina puriſſima. [illegible]uis alis cuſtodi me & protege. Miſerere mei, qui ſum luto inquinatus, qui ſceleribus quam plurimis creatorem Deum meum & Iudicẽ offendi. Ne aduerſus me glorietur ſatanas exitioſiſſimus: ne in me exurgat execrandus inimicus meus: ne ſeruum à tui ſpe deſtit[illegible]

cognoſcã: ne calumnietur me detra-
ctantiũ lingua. Non mihi alia fidu-
cia ô Virgo ſincera. Ex vlnis equidẽ
maternis tibi Domina mea deditus
ſum miſerabilis, & cliẽs tuus vocatus
ſum ne maleuolus Sathanas me ad in
fernas portas abducat. Tu enim meus
portus, ô virgo inuiolata, & prę ſẽs au
xiliatrix. Denique ſub tutela & pro-
tectione tua totus ſum. Crebris la-
chrymis, te ô celeberrima Mater, im
ploro, & aduoluor tibi Domina mea:
ſuppliciter clamans, ne dulcis filius
tuus; & vitæ omniũ dator, ob multa
quæ patraui ſcelera, toliat me de me-
dio, & miſeram animam meam ceu
leo diripiat: vel velut ſterilem ficum,
infœlicẽ me excidat. Sed ob hoc ô,
Chriſtum meum adeam, & ſubeam
aulas illas beatorum: vbi non ſunt
lachrymæ, non vexatio, nõ moleſtia,
non mors, non tormenta, non loco-
rum anguſtiæ, ſed lętitia inexhauſta,
voluptas iuſtorum, delicię & exulta-
tio, gloria & ſplendor. Imple os meũ
gratia dulcedinis tuæ. Illumina men-
tem,

tem, ô gratia plena: inoue linguã meã & labia, ad laudes tibi alacri & læto animo canendas, & præcipuè melos illud Angelicum celebratiſſimum, quod Gabrie-lin Nazareth ſeruili habitu, ad te virginem & matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit: ſalutationem maximè congruam, & digniſſimam mundi ſalutem, cunctarumq; animarum tutelam. Dignare virgo te tuum ſeruum laudare, & dicere: Aue Dei ſplẽdidiſſimũ & luculentiſſimum vas: Aue Domina MARIA, gratia plena: Aue in mulieribus virgo beatiſſima: Aue ſtella fulgentiſſima, ex qua Chriſtus prodijt.

Amen.

Laus Chriſto Deo, Virginiq́ue Matri MARIÆ.